



V
B
J
C
35417
I

DEFENSIO
Beatissimæ Virginis DEI Genitricis
MARIÆ
Contra nostræ tempestatis Hæreses:
In qua
SPECIALIS CULTUS
ET
INVOCATIO EJUS,
Manifestis Argumentis
EVINCITUR;
Omnium usui salutari, non solùm ad tuendam aut discendam hac in parte Veritatem Catholicam, sed & ad fructuosè Concionandum, piè meditandum, eruditè disserendũ &c.
ACCOMMODATA
Per P. GODEFRIDUM HANNENBERG SOC: JESU.



CALISSII,
Typîs Clari Collegii Societatis JESU.
Annô post Virginis partum 1728.

Venite! atq; omnes mentibus puris, intaminatiſq; labiis, glorioſè laudemus illam Emmanuelis intemeratam, ac ſuper omnes Virgines puriſſimam Matrem; Sacriſicia DEO ex illa nato, per Eandem offerentes. S. Sabbas in Menæis Græcis 3. Janu: Ode. 9.

FACULTAS.

JOANNES JUSKIEWICZ
Præpoſitus Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

CUm Opus, quod inſcribitur: *Defenſio Beatiſſimæ Virginis &c.* Authore R. P. Godefrido Hannenberg, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, Poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro Michàéle Angelo Tamburino, Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, Facultatem concedo ùt Typîs mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus Fidem, has Literas manu mea firmatas & Sigillô, dedi. Oſtrogii die 25 Januarii Annô Domini 1728.

JOANNES JUSKIEWICZ
m. p.

APPROBATIO
LOCI ORDINARII.

LIbrum, cui titulus, *Defensio Beatissimæ Virginis DEI Genitricis Mariæ contra nostræ tempestatis hæreses*, ab Admodum R. P. Godefrido Hannenberg Soc: JESU Collegii Calissiensis Rectore, magno labore, industria, & summa sedulitate, conscriptum, cũ nihil Fidei orthodoxæ, bonisq; moribus contrarium contineat, quinimo malleus contra hæreticos, & motivum summæ Devotionis ad DEUM, Viaq; Salutis æternæ consequendæ, dici mereatur, Luci publicæ & Prælo mandandum esse, censeo.

Calissii 1728. 23. Junii.

JOANNES GAŁCZYNSKI à Celsissimo Principe, Illustrissimo Excellentissimo D.Domino THEODORO POTOCKI Archi-Episcopo Gnesnensi, Legato Nato Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ, Primate, primoque Principe, Librorum Censor.

BENEDICTÆ
In Mulieribus
VIRGINI
SANCTISSIMÆ DEI GENITRICI
MARIÆ.

M*Aternis tuis advolvor plantis, Virgo Beatissima, & exile Opusculum hoc, totis præcordiorum affectibus, Honori tuo dedico submississimè. scio quidem (ut meritò fatetur Joannes Damascenus Orat: de Assumpt:)* nullam hominum linguam, nec Angelorum Mentem, Te sat dignè laudibus efferre posse, per quam Domini Gloriam perspicuè intueri nobis datum est; quia tamen DEO, Tibiq; gratum est, quod pro viribus

fit,

fit, atq; ex amore & Zelo, probaq; offertur voluntate: *proinde & ego, indignus quamvis, toto tamen corde tibi proſtratus Servulus tuus, quantum pro modulo meo colligere valui, hoſce Laudum floſculos, audeo Veſtigiis tuis ſubſternere. Suſcipe, o Domina! o Mater piiſſima! Suſcipe tenue iſtud in Defenſionem Honoris Tui obſequium. Suſcipe Virgo Prudentiſſima leve hoc Munuſculum, & miſericordes oculos tuos ad me convertens, benigno vultu reſpice. Monſtra te eſſe Matrē omnibus, bonô animo præſens Opus evolventibus. O Clemens! o pia! O dulcis Virgo Maria! Ora pro nobis Deum nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.*

G. H. S. J.

❧)(†)(❧

SYNOPSIS TRACTANDORUM IN HOC OPERE.

Honor & Cultus ſpecialis, ac Invocatio Beatiſſimæ Virginis DEI Genitricis Mariæ, contra modernas Hæreſes,

1. *Defenditur* manifeſtîs S. Scripturæ locîs. à numero marginali 1. ad numerum 29.

2. *Defenditur* 10. Rationibûs Theologicis: videlicet *1*. Specialiter colenda & invocanda eſt B. V. Maria, quia eſt DEI Genitrix, Mater Chriſti. à n. 30. 2. Quia per id Chriſtus JESUS ſummopere glorificatur. à n. 38. *3*. Quia nemo plûs obſequii Chrîſto Salvatori noſtro exhibuit, nemo plus adverſitatis cum eodem ſuſtinuit, quàm Maria. à n. 46. *4*. Quia eſt Mater noſtra. à n. 55. 5. Quia nullô unquam vel minimô peccatô fuerat inqvinata. à n. 58. *6*. Propter plenitudinem Divinæ Gratiæ & Sanctitatis. à n. 67. *7*. Propter excellentiſſimam Gloriam in Cœlo. à n. 72. *8*. Propter ſpecialem exceſſum Fidei & Charitatis in via. à n. 74. *9*. Quia omni virtutū genere fuerat ornatiſſima. à n. 78. *10*. Quia eſt Virgo puriſſima ante in & poſt Partum. à n. 83.

3. *Defenditur* Teſtimoniîs SS. Patrum, & continuo Eccleſiæ Chriſti etiam antiquiſſimæ, tam Latinæ quàm Græcæ uſu. Ubi *1*. declaratur, B. V. Mariam eſſe poſt

Chriſtum

Christum summopere colendam. à n. 90. 2. Nunquam satis dignè à nobis laudari & coli posse. à n. 93. 3. Cultores & Laudatores ejus, singulariter Donis Cælestibûs præmiari. à n. 94. 4. *Salve Regina* &c. vindicatur &c.

4. *Defenditur* Praxi, zelo, pietate, ac devotione piissimorum Imperatorum, Regum, Principum, Exercituum, ac Civitatum. à n. III. ad n. 154.

5. *Defenditur* Ex tot luculentis Miraculis ad Invocationem ejus à DEO patrari solitis. à n. 155. ad 198.

6. *Defenditur* Lumine rectæ rationis vel in ipsis Dissidentibus moderatioribus, imo Gentilibus & Machometanis, nec non Judæis relucente. à n. 199. ad n. 203.

7. *Defenditur* ex eo, quòd ad Cultū hunc & Invocationē B. Virginis, Dæmones contremiscant, & fugentur. à n. 204. ad n. 210.

8. *Defenditur* per hoc, quòd Veritas ista à scelerATISSIMIS nonnisi hominibus, manifestis hæreticis, & Christi hostibus fuerit olim oppugnata. à n. 211. ad n. 223.

9. *Defenditur* exinde, quòd aliter oppugnari nequeat, nisi per calumnias & impudentiā. à n. 224 ad n. 229.

10. *Defenditur* ex eo, quód DEUS Irrisores & contemptores hujus veritatis, toties severissimè puniverit. à n. 230. ad n. 243.



DEFENSIO PRIMA
B. VIRGINIS MARIÆ
In qua Cultus & Invocatio Ejus ex Scriptura S. evincitur.

§. I.
De CULTU B. V. MARIÆ.

I. SPeciali, & inaudito à Sæculis modô, tota SS. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus S. præmissa per Archangelum Gabrielem Salutatione humanissima, *Ave Gratiâ plena &c: Luc: 1.* (qualem Cultum nulli unquam Patriarcharum, aut Prophetarum, exhibitum legimus) Mariam Virginem honorificavit. *Fecit Mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen Ejus. Exaltavit humiles*, concinit ipsa Luc: 1. v. 49. Adeo Virginem hanc humillimam exaltavit Pater æternus, ut in Matrem Filii sui adoptaverit; exaltavit DEI Filius ut è Summo Cælo in Præcordia ejus sese demiserit; exaltavit Spiritus S. ut eidem gratiosissimè obumbraverit. Et

hoc Divinæ Magnificentiæ præsupposito mysteriô, plura Sacrarum Literarum arcana penitiùs expendamus. Si Pater Cœlestis eximio illos prosecuturus erat Honore, qui Filio suo in Carne degenti ministrârunt: *Qui mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, inquit Sálvator Ioan: 12. v. 26. Quomodo non honorificavit Matrem Filii sui, quæ ministravit à primo vitæ diluculo usq; ad Occasum; à præsepio usq; ad tumulum? Nec solùm ministravit, sed & genuit & educavit. Si Dei Filius honoraturus erat eos, qui audientes Verbum, secuti sunt eum, ut diceret: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis in Regno meo super sedes duodecim Mat: 19. v. 28.* Quomodo non super omnes sedes & Angelorum Choros extollenda Mater, quæ toto vitæ mortalis decursu secuta est eum, & quidem usq; ad Crucem; nec solùm secuta, sed & gestavit in utero, portavit in Gremio, manibûsq; suis in præsepio & tumulo reclinavit. Nec audiebat duntaxàt, verùm etiam *Conservabat omnia Verba ejus in Corde suo Luc: 2. v. 61.* Si Spiritus S. per Ecclesiasticum ad debitas Parentibus Laudes persolvendas hortatur omnes: *Laudemus Viros gloriosos & Parentes Nostros in generatione sua Eccl: 44. v. 1.* Multò magìs ad id obsequii, Pretiosissimæ tribuendum Parenti, stimulat, quæ mundo pariens Salvatorem, vitam nobis peperit sempiternam. Et si juxta DEI Mandatum, ejusmodi honorandi sunt Parentes, per quos vitam adipiscimur corporalem;

Spe-

Speciali profectò cultû illa prædicanda est Mater, unde vitam habemus Spiritualem.

2. Verbô, Pater, Filius, & Spiritus S. extraordinariô & admirabilî modô B. Virginem Mariam honorificant: & terræ Vermiculus, Saccus Stercorum, esca vermium, terrenus homo, perversa quorundam opinione dementatus, infascinatus, excæcatus, Eandem colore non dignabitur?

3. Quis non videt, quàm profundô Cultû Angelus Gabriel, & quidèm non politicô aut civilî, sed verè religiosô (cùm nihil ineptiùs fingi possit, quàm Angelos, cerimonias merè politicas, aut complementa quædam phantastica exhibere hominibus) veneratus sit B. Virginem? En! cum quanta Emphasi Salutationem instituit: *Ave gratiâ plena Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. Luc: 1.* Quasi dicat: Aliis DEI amicis, aliquid de Gratia ejus participare conceditur; Tu Gratiâ plena. Aliis Deus cælestia largitur dona; Tecum ipse est Dominus. Laudabiles quidèm, ut fortis illa Judith, formosa Ester, humilis Rebecca &c: inveniuntur Mulieres; sed tu benedicta inter omnes. Cui unquàm hominum sic locutus est Angelus? Cùm autem turbari, & in præsentia Angeli trepidare inciperet, *Cogitaretq; qualis esset ista Salutatio*: proprio Eam compellat Nomine, & suavissimè Consolatur: *Ne timeas Maria, invenisti enim Gratiam apud DEUM: Ecce Concipies in Utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus IESUM &c.* Hæc de partu Filii castissima inaudi-

ens Virgo, adhuc magis metuit & miratur inquiens: *Quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco?* Verum Angelus totum eidem perhumaniter explicat myſterium: *Spiritus S. Superveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi &c:* Quaſi diceret: ne timeas Maria! Virginitas tua manebit integerrima. Non ut aliæ mulieres, ex voluntate Carnis, neq; ex Voluntate Viri, ſed ex Spiritu S. concipies. Eris ſemper Virgo, & ſimul Mater. Sicut Vellus Gedeonis rorem, ita tu æternum DEI Verbum, hac hora in viſcera tua recipies.

4. Iam dijudicet quivis æqui rectiq; amator, num hæc Beatiſſima Dei Genitrix, quàm ipſe Angelus tam ſubmiſsè ſalutavit, tam mirificè laudavit, tam gloriosè inter omnes Benedictam prædicavit, non ſit pariter millies à nobis ſalutanda, omniq; laudum genere celebranda? Conſideret, num homines ejuſmodi, qui eam honorare detrectant, aut contumeliîs onerant, audentq; dicere vel ſcribere, *Ave Maria fort*! idipſum ab Angelo bono, & non potiùs malo didicerint?

5. Nemo prudens vel ſubdubitare poteſt, Sanctam illam, venerabilem, & grandævam Mulierem Eliſabetham, cùm pauperculam, juvenculamq; Virginem Mariam ſeſe inviſentem, tanta cum veneratione ſuſciperet, (profectò non merè politicâ ac Civili, ſed Religiosâ & Spirituali: non enìm ob Excellentiam quandam, mundanam, verùm propter eximia Dei Dona, exhibita) ut elata voce exclamaret: *Be-*

nedicta

nedicta tu inter Mulieres. & Benedictus Fructus Ventris tui! & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Luc: 1. v. 42. Id ipſum ex ſpeciali Spiritûs S. Inſtinctu feciſſe. Vel ipſe uterô adhuc clauſus & infans Joannes, ad Divinæ Matris præſentiam exultavit præ gaudio, quaſi poplite flexo exhibiturus Reverentiam. *Ecce enim* (inquit Eliſabeth v. 44.) *ut facta eſt* vox *ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio Infans in utero meo.* Si itaq; tanta Virgini Mariæ facta eſt veneratio propter Chriſtum quem gerebat in utero; Ergo à fortiori exhibenda propter eundem, quem peperit mundo.

6. De poſteris quoq; Generationibus ipſamet Virgo Sanctiſſima in ſuo Cantico diſertè enuntiat: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ Ecce enim ex hoc, Beatam me dicent omnes generationes Luc: 1. v. 48.* Quæ Generationes? quæſo: Procul dubio Chriſtianæ. Si itaq; Prædictio ejus, utpote Spiritû S. plena, impleri debet, ſequitur, Generationes illas, quæ Virginem Mariam colere, laudare, & Beatam prædicare, reluctantur, non eſſe verè Chriſtianas. *Verbô* quicunq; ad has, de quibus B. Virgo vaticinata eſt, referri deſiderat Generationes, eam magnificet, collaudet, atq; Beatam celebret, neceſſe eſt. Qui verò ſecùs fecerit, illi ſe potiùs ingratiſſimæ Bethleemitarum turbæ, quæ Dei Genitricem, cùm partui eſſet proxima, ab ædibus ſuis, ipſoq; Diverſorio (*non erat ei locus in Diverſorio. Luc: 2. v. 7.*) excluſerat, noverit aggregandum.

7. Ipse Mundi Salvator etiam quamdiu mortales inter degebat, singulari honore Matrem suam condecoravit. Venerabatur eam, priusquam Evangelii opus inchoâsset, adeo, ut fieret Subditus ei: *Descendit & venit Nazareth, & erat subditus illis Luc. 2. v. 51.* Venerabatur sub primum operis sui initium in Cana Galilææ, quia ad preces ejus, horam quodammodò patrandi Miracula, anticipando, (quam aliàs distulisset, ni Mater rogâsset) aquam in Vinum converterat. Joan: 2. v. 8. Venerabatur in ipso Prædicationis Evangelicæ progressu. Lucæ enim 11. Postquàm Pharisæos, Prodigia sua in dubium, sinistrumq; sensum vocantes, & virtûtem profligandi Dæmonia, Arti magicæ iniquissimè tribuentes confutâsset, Pia quædam exclamavit Mulier v. 27. *Beatus Venter qui te portavit, & Ubera, quæ Suxisti.* Tum Dominus: *Quin imò beati qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.* Solent quidèm B. Virginis Adversarii, id ipsum contra Honorem ejus injuriosè detorquere, sed quàm casso molimine mox videbimus. Præfata siquidem Salvatoris Verba Correctionem denotant Epitaticam, quæ allatas Virginis laudes non minuit sed ampliavit. *Quin imo Beati, qui audiunt Verbum DEI & custodiunt illud:* Quasi dicat: Tu beatam præcisè ex eo prædicas, quia me portavit in Utero &c. & quidem ordinariô, aliisq; Matribus (ut tu arbitraris) consvetô modô; nec observas, quòd audiendo & custodiendo Verbum Dei, se dignam ut fieret Mater mea, reddiderit. Quin imo hac de causa Bea-

ſa Beatam dixeris. Si enim beatiùs eſt, audire & cuſtodire Dei Verbum, quàm humanô modô generare aut enutrire Prolem; ſi, univerſaliter loquendo, Beati illi, qui audiunt, & cuſtodiunt Verbum Dei; Beatiſſimam profectò ex eò laudaveris, quia audiebat ſempèr & *Conſervabat omnia Verba mea, conferens in corde ſuo Luc. 2. v. 19.*

8. Tandèm venerabatur Chriſtus Pretioſiſſimam Matrem etiàm moriens in Cruce. Poſtquàm enìm pro Mundi Salute totum fudiſſet Sanguinem; poſtquàm Peccatoribus pænitentiam agentibus veniam, Latroni dediſſet Paradyſum, Dilectiſſimo Diſcipulo ſuo Joanni, quem in ultima Cæna pectori admoverat, velùt maximam Gratiam reliqûit Matrem Suam: *Ecce Mater tua*: injungens, ut eidem, obſequiô prorsùs Filialì, tanquàm propriæ Matri, ſuccurreret. Quô procedendi modô, nos quoq; implicitè edocuit, univerſale honorandi Parentes Mandatum, etiàm Chriſti Matrem, per quam Salvatorem accepimus, reſpicere.

9. Addo, Chriſtum Dominum, cunctas Paſſionis tempore, Iudæorum injurias in ſe pro Redemptione Generis humani ſuſcipientem, ſic coluiſſe Matrem ſuam, ut non permiſerit, eandem Cruci ſuæ aſſiſtentem, contumeliâ aliqua oppugnari à Iudæis. Tametſi id ipſum hodie ex abyſſo inſcrutabilium Judiciorum ſuorum, exſpectans pænitentiam, (ſed uſquequò Juſtè Judex!) in tot perverſis diſſimulet Chriſtianis. Jam.

OBTRUDUNT ADVERSARII.

10. *imo.* Christum ipsum parum honorâsse, quin imo Sprevisse Matrem suam, eandem, *Mulierem*, compellando: Exem: Causâ in Cana Galilææ Joan: 2. v. 4. *Quid mihi & tibi est Mulier?* Et in Cruce Moriens: *Mulier ecce Filius tuus Joan*: 19. v. 26. Respondeo, Veritatem illam Catholicam, quam & inferiùs elucidabimus, nimirum, quòd Cultus & Invocatio B. Virginis, haud aliter nisi cum Injuria ipsimet Salvatori illata, oppugnari queat, etiam in præsenti reddi manifestam. Quis sanæ mentis Christianus audebit hiscere, Christum (qui non venit solvere Dei Legem sed adimplere) quartum Decalogi Præceptum de honorandis Parentibus, transgressum fuisse, & Matrem non tantùm non honorâsse, sed & sprevisse? Si proindè minimè transgressus est, igitur memorata Salvatoris Verba, sicut & omnia similia, diminutionem honoris B. Virginis nequaquam significant.

11. Sciendum itaq; est, Christum Dominum inter loquendum, consvetudinem habuisse utendi Verbîs ad Severitatem compositîs, non blandîs, non mollibûs: Loquebatur enim *Quasi Potestatem habens. Marci* 1. v. 22. Et ideo, quoties publicè perorabat, etiam Matrem, Mulierem compellabat, ut manifestaret aliis, se humanîs non duci Respectibûs, sed Matris quoq; Supremum Dominum & Deum esse. Nec sine

fraude

fraude, memorata inſtituitur obtruſio. Quamvis enim vox hæc, *Mulier*, Idiomate Germanico, *Weib*, paulò duriùs ſonet, nequaquàm tamèn in Hebraico, aut Syriaco: (quo uſus eſt Dominus) cùm Linguâ hac, Fæmina etiam honoratiſſima, Mulier nuncupetur. Adeoq; Chriſtus & Magdalenam, quam toties mirè dilaudaverat, benigniſſimè poſt Reſurrectionem ſuam affatus, Mulierem vocavit: *Mulier quid ploras? Joan: 20. v. 15.* Perlibenter alias S. Auguſtini expoſitionem, præſertim ubi ſubobſcurè diſſerit, aut prima ſaltem fronte, opinioni ſuæ ad ſpeciem favere videtur, licèt immeritò jactitant Adverſarii. Igitur & hìc acceptate Auguſtinum: ſic enim præfatum Scripturæ Locum explicat: *Mulierem vocat Chriſtus, ut declaret, Virginem eſſe illam Mulierem, de qua olim Pater æternus ad ſerpentem, Inimicitias ponam inter te & Mulierem.*

12. Unde patet, dictum illud: *Quid mihi & tibi eſt Mulier? nondùm venit hora mea. Ioan: 2. v. 4.* nullatenus reprehenſionem quandam contemptivam Matris denotare: Nam ſi B. Virginis Poſtulatum reprehenſibile fuiſſet, Dominus profectò eidem non ſatisfeciſſet: aſt ſátisfecit, immediatè pòſt aquam in Vinum convertendo; Verùm admonitionem duntaxàt ſalutarem & cautelam, nec propter Matrem ſed adſtantes, eosq; qui audituri erant, inſtitutam. Præfatîs enim Verbîs cunctos docere voluerat, ſe non ſolùm Mariæ ſed & Dei Filium eſſe, nec in operibus ejuſmodi; quæ agebat ut Salvator Mundi, qualia erant e. c. patrare Miracula &

Prodigia,

Prodigia, congregare Discipulos, prædicare &c: se ab arbitrio & voluntate Matris pendere, aut talia ob respectum merè humanum facere. *Quid mihi & tibi est Mulier? nondum venit hora mea*: Quasi dicat: In his, ut Prodigia faciam, vel quandò faciam, nihil mihi tecum, aut à te, quoad virtutem & Potestatem; nec tuô subjectus sum arbitriô: Talia siquidèm non tanquàm Filius hominis, nec intuitu consanguinitatis, sed ut Filius Dei facio. Et hoc sensu intelligendi sunt loqui, Athanasius, Augustinus, Gregorius Nissenus, objurgationem hìc aliquam, scilicet impropriè talem, & merè propter eos, qui adstabant, factam suspicientes.

13. Simile quid habetur Mat: 12. v: 47. 48. Cùm Christum perorantem nonnulli interpellarent dicentes: *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant, quærentes te.* Respondit Dominus: *Quæ est Mater mea, & qui sunt Fratres mei?* mox subjunxit: *Quicunq; fecerit Voluntatem Patris mei qui in Cælis est, ipse meus Frater, & Soror, & Mater est.* Ac si diceret: Vos Matrem, Consanguineos, & humanam Originem exprobratis mihi, exinde falsò inferentes, me Dei filium non esse. Vos de me præcisè secundùm Carnem, non autem Spiritum judicatis: ex operibus Patrem potiùs meum, qui in Cælis est, agnoscite, ejusq; voluntatem, quam vobis prædico, implete. Non carnalem amicitiam aut cognationem, dum Evangelium prædico, quæro, sed Spiritualem, quæ in hoc consistit, ut voluntatem Patris mei facia-

faciatis. Veram eſſe Matrem meam, aut Fratrem, ultra vos eſt, nec pendet à veſtro arbitrio. In ſenſu nihilominus improprio, Fratrem, Sororem, Matrem agere poteſtis, ſi voluntatem Patris mei qui in Cælis eſt, faciatis. Et de hoc ſolliciti ſitis, hoc, ut conſequamini, toto conatu inquirite.

14. Eadem ſignificatione viſus eſt, etiam ſibi ipſi Poteſtatem (qua revera præditus erat) negâſſe, Mat: 20. v. 23. ad Diſcipulos inquiens: *Sedere ad dexteram meam* vel *ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Et Luc: 2. v. 49. Dolenti ſciſcitantiq; Matri, *Fili, quid feciſti nobis ſic? dolentes quærebamus te*, repoſuit: *Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Id eſt: Ne miremini, ſi veſtra facultate minimè requiſita, manſi Hieroſolymîs, Opus enìm Patris mei ad ſalutem humani Generis pertinens, exequi debui: in quo humanum non ſpecto Imperium aut obſequium. Sicut autem hæc non propter Matrem (cui Myſteria ejuſmodi aliùnde bene perſpecta fuerant: *Mater ejus conſervabat omnia Verba hæc in Corde ſuo Luc:* 2.) verùm propter eos, qui aderant; ita & illa Ioan: 2. *Quid mihi & tibi eſt Mulier?* dictā ſunt. Quemadmodum & illud Ioan: 11. v. 41. *Pater, gratias ago tibi, quia audiſti me; ego autèm ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter Populum, qui circumſtat, dixi, ut credant, quia tu me miſiſti*: ideo protulerat, ut homines circumſtantes crederent, ſe non tantùm Hominis, ſed & Dei Filium eſſe.

15. *2do.* Stupens in ſua quaſi Evangelica Harmonia Calvinus objicit, dicens: *Mirus Papatûs ſtupor, quòd in Mariæ honorem cantillent hæc verba, Beatus venter qui te portavit. Luc: 11. v. 27. quibûs tamen diſertè refellitur eorum Superſtitio. In agendis enim gratiis, Mulierculæ Vocem decerpunt, omiſſa correctione, videlicet, Quinimo Beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Sed Correctionem hanc, Inclytæ Dei Matri multùm glorioſam eſſe Num: 7. oſtendimus. Ad faſtum verò Calvini retundendum, ſufficit S. Juſtinus, antiquiſſimus Eccleſiæ circa An: Chriſti 130. Doctor, qui Quæſt: 136. ad Orthod: præfata Domini Verba, eodem modo, prout ſuperiùs declaravimus, explanat: *Non ita locutus eſt Dominus, quaſi Matrem privaret honore debito, ſed oſtendit, qua Maternitate beatior dici debeat Virgo. Nam Dei Sermonem audire & exequi Virtus eſt, animæq; puræ, quæ tota ad Deum Spectet. Et quia non quamcunq; fœminam elegit Deus, ſed omnium Fœminarum virtutibûs excellentiſſimam, propterea Chriſtus volebat, ob hanc Virtutem prædicari Matrem ſuam, per quam virtutem illa aſſecuta eſt, ut Virgo Mater fieret.*

16. Sunt & alii, qui de memorata paulò aliter diſſerunt Sententia: Nimirum ſic: Mulier hæc Chriſtum quidem propter Sanctitatem & Sapientiam, plurimùm æſtimaverat, purum nihilominus hominem, ac proinde naturali & conſvetô aliis Matribus generationis modô, à Maria progenitum fuiſſe, arbitrabatur. Cùm itaq; diceret: *Beatus venter qui te portavit,*

tavit, Nomine Beatitudinis, ſolatium & felicitatem merè temporalem, quam Parentes è Filiis habere ſolent honoratis, intellexerat: Ideoq; Chriſtus, quin imo beatos, qui audiunt Verbum Dei & cuſtodiunt illud, meritò pronuntiavit.

17. *3tio*, Varios Scripturæ Textus conflant ineptiſſimè. Exem: causâ; *Soli Deo honor & Gloria* 1. *ad Tim*: *1. &c.* Sed quis adeo hebes, ut prima ſtatim fronte non intelligat, ejuſmodi Sententiîs, Honorem Divinum, id eſt propter Summam Excellentiam, & tanquam Supremo rerum Domino, primoq; Principio & Fini ultimo, ſoli Deo tribui? Quòd autem, hoc minimè obſtante, etiam hominibus cultus aliquis Religioſus, id eſt propter ſupernaturalia Dei Dona, quamvis longè inferior concedi poſſit, nemo prudens dubitaverit: cùm & idem Paulus qui ſcribit 1. ad Tim: *1. Soli Deo honor & gloria*, dicat ad Rom: 2. *Gloria & honor omni operanti bonum.* Advertendum tamen hic eſt, memoratam Objectandi methodum non eſſe omnibus Adverſariis communem. Sunt, qui fraudulenter profitentur, ſe honorare Virginem Mariam, tametſi re vera honorent minimè. Nos colimus, nos veneramur Eam (exclamant) eatenus, quatenus credimus, DeiMatrem eſſe. Reſpondeo, qui id non credit, is nec creditChriſtum Deum eſſe, conſequēter non eſtChriſtianus. Verùm non ſufficit credere. SiCredis, quòd ſitDeiMater, igitur utMatrē Dei glorifica. *Servus enimSciens, & non faciens vapula-*

bit multis: Luc: 12. v. 47. Quodsi credens Christum Deum esse, eundem prætereà non coleres ut Deum, nonne verificaretur illud: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum ad Rom: 1. v. 21.* Proportionatè de B. Virgine Dei Genitrice discurrendum. Quid fieret illi, qui diceret, Ego Principem hunc agnosco Regem meum esse, alium tamen præterea honorem nequaquam eidem exhibebo: Satis, quòd talem profiear? Quid non fiet iis qui in Religione Christana B. Virginem profitentur Deiparam, cultû nihilominus Religiosô prosequi reluctantur?

§. 2.
DE INVOCATIONE B. V. MARIÆ.

18: Misericordissimam Dei Genitricem piè ac fructuosè invocari, ut oret pro nobis Deum & Christum Filium Suum, atq; per Eam efficaciter impetrari posse, quod petitur, manifestè ex Evangelio Ioan: 2. v. 4. &c: Ubi Dominus ad interpositionem ejus, aquam in vinum converterat, colligimus. Licèt autem visus sit ab initio tergiversari, dicens: *Quid mihi & tibi est Mulier? nondum venit hora mea*: eo, quòd B. Virgo, Rem difficillimam, Anticipationem videlicet manifestationis & publicæ Miraculorum patrationis desiderâsset, id tamen nullatenùs repulsam denotat. Hîs siquidem auditis, immediatè pòst, conversa ad Ministros

nistros Mater (quasi infallibiliter sciret preces suas exaudiendas) v. 5. subjunxit: *Quodcunque dixerit vobis, facite. Et dicit IEsus: Implete Hydrias aquâ &c:* Si itaque Christi Mater, in hac mortali vita, tam facilè etiam difficillima impetrare à Filio, ac proindè tam utilitèr invocari poterat ; multò magis in Cœlesti Gloria constituta. Proinde S: Bernardinus Senensis Tom: 3. Serm 9. Art: 3. *Virgo Mater se cunctorum hominum Matrem pietatis agnoscens, sollicita pro Filiis, ad Dei Filium intercessit, dicens: Vinum non habent. Si hoc Viatrix existens, quid cùm regnat in Patria? Si hoc apud Filium temporali Morti subjectum, quid cùm mortem superavit?*

19. Et, si Angelus Domini oravit pro Populo: *Domine Exercituum, usqnequo non misereberis Jerusalem? Zach: 1. v. 12.* Et Tobiæ 12. v. 12. *Ego obtuli Orationem tuam Domino*, inquit Angelus Raphàél. Si Intercessionem Angeli ad Deum, desiderávit Job, inquiens c. 33. *Si fuerit Angelus loquens pro eo, unus de millibus, miserebitur ei, & dicet, libera eum.* Quomodo id ipsum non potiori Jure, huic Sanctissimæ tribuendum Matri, quam vel ipse humili Salutatione veneratus est Angelus? *Ave Gratiâ plenâ, Dominus tecum.* Si Jacob moriens & Filiis suis benedicens, Invocationem sui & Patrum Suorum svaserat dicens: *Invocetur super pueros istos Nomen meum, Nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac, ut crescant in multitudinem Gen: 48. v. 16.* Si Petrus Apostolus pollicitus est, se post Obitum suum, curam Fidelium habiturum: *Dabo au-*

tem

tem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. 2. *Petri* 1. v. 15. Qua fronte id B. Virgini negabitur? si 2. Machabæorum c. ultimo, Judas in Visione quadam Oniam Pontificem, & Hieremiam Prophetam, qui jam obierant, orantes pro Populo viderat. Si Joannes Apoc: 5. vidit Seniores 24. in Cælo procidisse coram Throno Dei, *Habentes phialas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum*: quis adeo excæcatus, ut non advertat, idem quoque à Beatissima Dei Genitrice, nobis præstari posse? Et ad has duas Scripturæ Instantias, quid respondeant, non habent Adversarii, nisi illud consvetum, Libros Machabæorum & Apocalypsim non esse Canonicos. Quamvis autem figmentum hoc unicè ad eludenda Catholicorum Argumenta inventum, abunde jam in Libris nostris convulsum sit, interim tamen sufficiat, præfatos Codices, Fide dignissimos, & disertos, quisnam antiquitus de Sanctorum Invocatione, Fideles inter sensus fuerit? Interpretes esse; ac consequenter, suppositîs tot aliîs manifestîs Scripturæ Locîs, haud perfunctoriè Veritatem nostram confirmare.

20. Tandem si homines adhuc mortales, orare pro aliis Deum & exorare valent, cur non illa Benedicta inter omnes? Et, si invocando Mortales (ut toties Paulus ipse fecerat: ut Deus ipse Job: 42. v. 8. hortatur, *Ite ad Servum meum Job, ipse orabit pro vobis, faciem ejus aspiciam, ut non imputetur vobis stultitia*) nulla Mediationi

diationi Christi fit injuria, nec aliis contravenitur Scripturæ locis; multò minùs per Invocationem Sanctorum in Cælesti Gloria existentium. Cùm & illi sint membra ejusdem Ecclesiæ, & una Christi Intercessione nitantur: quidquid enim nobis petunt, á Deo per Christū petunt. Quod autem Sanctis concedi debet, id potiori Jure illi, quæ Christi, adeoq; omnis Christiánæ Sanctitatis Mater est, tribuendū. Et ad hæc, nihil prorsus, quod vel minimam veri speciē præseferat, respondere valent Prædicātes

21. Illud quoq; animadversione dignum existimo, quòd Christus Dominus Miracula & Sanitates crebrò fuerit operátus die Sabbato, ut videre est Mat: 12. in homine habente manum aridam: & Luc: 13. ac 14. in Muliere inclinata, & hydropico; & Ioan: 5. in languido 38. Annorum: & Ioan: 9. in Cæco nato &c: Licèt autem id variis ex rationibùs fecerit, e.c. ut se Sabbati Dominū esse, posseq; diebus Festis, aliis benefacere, declararet; tamen etiā hæc locū hábet; quia videlicet prævidebat, Sabbatum ab Ecclesia, quæ Spiritu S. regitur, perpetuo cultu B. Virgini fore addicendum, hac ratione volebat Dominus præsignare, se ad invocationem & intercessionem Genitricis suæ, multa Miracula & Beneficia concessurum hominibus. Et sanè hoc quoq; significatum videtur in Fluvio illo Palestinæ, qui Sabbaticus est dictus, quòd die tantùm Sabbati fluat. De quo Josephus lib: 7, de Bello Judaico c. 24. Flumen hoc ipse Vespasianus admiratus est. Nec Christianus ar-

bitrari poteſt, mirabile iſtud poſt Chriſti Aſcenſionem, in honorem Sabbati Judaici confirmandum, à Deo ſervatum fuiſſe.

22. Pariter conſiderabile eſt, quod toties Scriptura Chriſtum, Filium hominis, id eſt Mariæ, appellet, quoties beneficentiam ac Miſericordiam ejus ſpecialiter exaggerat. Sic Act: 7. habetur. *Ecce video Cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à Dextris Dei.* Et ad Gal 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere.* Et Luc: 1. Eliſabeth: *Benedictus fructus Ventris tui.* Et Marci 6: Communiter ab hominibus *Filius Mariæ* nuncupatur. Cur, quoties Miſericors Dominus deſcribitur, mentio fit Matris? Res hæc non ſine Myſterio eſt. Quaſi indicare voluiſſet Spiritus S. ſi Chriſtum, experiri miſericordem ac beneficum, cupitis, Mentionem & Invocationem Matris faciatis.

OBTRUDUNT ADVERSARII.

23. *imo.* Hujuſmodi Scripturæ Textus: *Invoca me in die tribulationis*, inquit Dominus Pſal: 49. v. 15. Sed re vera non ad rem. Sicut enim ex talibus non ſequitur, Invocationem & Orationem hominum in hoc ſæculo degentium, eſſe rejectam, ita à fortiori nec Sanctorum. Præſertim cùm Jacob moriturus, id ipſum etiam ſibi in altera vita non negaverit, dicens: *Invocetur Nomen meum ſuper pueros iſtos, & Nomina Patrum meorum.* Memoratus itaq; Sacri Codicis locus, nihil aliud vult, quàm Deum ſolum, tanquam

tanquam omnis Boni Authorem, qui virtute propria poteſt & ſolet hominibus benefacere, invocandum eſſe. Quo non obſtante poterunt etiam Sancti, præſertim illa Sanctorum omnium Regina, ut apud eundem Dominum Noſtrum intercedat pro nobis, invocari: maximè, cùm per id principaliter ac ſpecialiſſimè (ut mox luculentiùs declarabimùs) ipſe invocetur Salvator.

24. *2do.* Ordinarium illud adversùs Invocationem Sanctorum in communi: quo Lutherus nimis patrocinatus Epicuro, ſomnum quendam Animabus corpore ſolutis iniquiſſimè appingebat, omneq; Eccleſiæ militantis cum Triumphante Commercium pernegans, illum Symboli Apoſtolici Articulum, *Credo Communionem Sanctorum*, clandeſtinè opprimebat. Nimirum, Sanctos in Cælo, adeoq; & B. Virginẽ, noſtras in terris ignorare neceſſitates. Verùm quis prudenter inficiabitur, Deum, qui toties in Scriptura Res abſconditas remotiſſimasq; Prophetis ſuis manifeſtaverat, eaſdem Sanctis revelare poſſe? & defacto revelare; ſicut facit Angelis in Cælo exiſtentibus, juxta illud Luc: 15. *Gaudium erit in Cælo ſuper uno Peccatore pænitentiam agente.* Porro Animæ Sanctæ ſunt ſicut Angeli Dei. Mat: 22. v. 30.

25. Dicitur quidem Iſai 63. de Iſràëlitis graviſſimè contra Deum delinquentibus: *Abraham & Iſaac neſciunt* vos, ſed hoc ſenſu, quo Chriſtus ipſe dicturus eſt Reprobis, *Neſcio* vos *Mat: 25.* v. *12.* Id eſt, non agnoſco, non reputo vos

pro meis. Perquod carentia non notitiæ ſed affectûs denotatur. Deinde protunc Abraham & Iſaac nondum in Gloria fuerant Cæleſti, ſed in Lymbo Patrum. Addo: Beatiſſimæ Virgini Mariæ, adhuc in Mundi hujus miſeria conſtitutæ, altiſſimum Incarnationis Verbi Myſterium, non ſolùm Angelus nomine Dei annuntiaverat, ſed & percontanti, *Quomodo fiet iſtud?* diſertè explicuit abſcondita. Quomodo igitur exiſtenti in Gloria, preces Noſtræ non poterunt innoteſcere? Et ſi innoteſcunt, quomodo non interpellabit pro nobis? Niſi fortè maternæ quis detrahere velit bonitati, & Virgini huic plus tribuere charitatis in terrenis Nuptiis (Joan: 2.) quàm in Cæleſtibus.

26. *3tio.* Mandatum aliquod colendi & invocandi Chriſti Matrem, expreſſum in Scriptura, prætendunt Adverſarii. Verùm Reſpondeo 1. Sano, ut cibum ſumat, non eſſe opus Præceptô, ſecus Infirmo. Ita pariter mens ſana non eget Mandatô ad id, quod honeſtum ſibiq; perutile apparet. 2. Satis quoq; Mandati in illo Univerſali Decalogi Præcepto, *Honora Patrem & Matrem*, ſuſpicimus. Si enim colenda Mater propter vitam, quam contulit corporalem, multo magìs Maria propter Spiritualem. 3. Toti in hoc intenti Evangeliſtæ & Apoſtoli ſuo tempore fuerant, ut homines ante omnia, ad Fidem in Chriſtum & agnitionem Redemptoris, ſcriptîs & dictîs pertraherent. Qua ſuppoſita, cenſebant ſupervaca-

neum

neum esse, calamô inculcare Christianis, ut Christi Matrem (quam Elisabeth, quam ipse Angelus tanta Veneratione prosequitur in Scriptura) colerent, aut ad Intercessionem ejus, in necessitatibus suis, fiducialiter confugerent: cùm id Lumen rectæ Rationis, absq; aliis monitis, abunde persvadeat.

27. Multa tamen de Virgine hac, & quidem non vulgaria, dum Vitæ Christi Mysteria referunt, suis Monumentîs tradiderunt Evangelistæ. Salutationem videlicet ab Angelo, & colloquium ejus cum eadem, Elogia magnifica à Gabriele & Elisabeth, Spiritu S. dictante, prolata: Canticum illud *Magnificat*, mysteriîs refertissimum, ab eadem Virgine pronuntiatum, ejusq; partum Virgineum, & jugem Christi Sequelam, non tantum in infantia, ac deinde ad Annum usq; trigesimum; sed etiam dum apud Judæos concionaretur, & tandem usq; ad Crucem: juxta quam, Animô stetit fortissimô, &c: Et pleraq; alia, ex quibus insignes Virtutes ejus, donaq; præclarissima Divinitùs sibi collata facilè colliguntur. Sed cæteris prætermissis, quòd sit Mater JEsu, unum est, in quo, veluti in radice & Virtute continetur, quidquid tantæ Matris Dignitatem consequitur & ratiocinando infertur à Theologis.

28. Ex dictis hactenus patet, quàm iniquô ab Adversariis odiô habeatur Salutationis Angelicæ Recitatio: nec ab alio Spiritu malevolentiam hanc instillari hominibus, nisi tum

Diaboli reſiſtentis Angelo Gabrieli, tum Neſtorii Hæretici, Veritati Catholicæ refragantis. Prima ſiquidem Pars, *Ave Maria Gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus, & benedictus Fructus Ventris tui JEſus*, habetur in Evangelio, dicta ab Angelo & Eliſabeth. Altera verò videlicet: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ Amen*, ab Antiquiſſima Eccleſia eſt adjecta. Et quàmvis longè ante Concilium Epheſinum, Anno Chriſti 431. habitum, in uſu fuerit; ab illo tamen potiſſimùm tempore, quo Neſtorius, Chriſti ejusq; Matris hoſtis (qui Virginē Mariam Dei Genitricem vocare renuebat) in præfato Concilio damnatus eſt, omnibus linguîs & cordibûs celebrari cæpit; ita ut ubiq; per Orbem terrarum, in Scholis & Eccleſiis, in Oppidis & Civitatibus, in Compitis & plateis reſonaret: Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Quanquam non tantopere mirandum, quòd Sectarii Salutationem averſentur Angelicam, cùm notum ſibi ſit, etiam Albigenſes circa Annum 1212. inſtitutâ Deiparæ juſſu, per S. Dominicum orandi formulâ, Roſariô videlicet, profligatos fuiſſe.

29. Pari levitate Litanias B. Virginis Lauretanas aſpernantur; cùm tamen vocabula ibidem Virgini Matri, ſano ſenſu tribui ſolita, in antiquiſſimis Chriſtianitatis Doctoribus reperiantur. Exempli causâ: S. Ephræm de Deipara (circa Annum 370.) ſic affatur eandem: *Ave lignum vitæ, gaudium, & voluptas: Ave Paradiſe*

diſe deliciarum, totiusq; amœnitatis & immortalitatis. S. Auguſtinus Serm: 17. de Natali Dom: (circa Annum 390.) vocat *Aulam Dei Virginalem.* S. Chryſoſtomus Orat: de Annunt: (circa An: 380.) *Civitatem Dei*, inquiens in Perſona Dei ad Angelum: *vade ad animatam Civitatem, id eſt Virginem Sanctiſſimam, de qua Propheta: Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.* S. Bonaventura in Specul: c. 8. *Cœli portam: Non eſt hìc aliud, niſi Domus Dei & Porta Cœli.* Georg. Nicomed: Orat: de Oblati. Deiparæ, illud Jſaiæ 29. ad illam refert: *Indicavit eam Liber obſignatus, quem nullus legit, præter eum, qui obſignavit &c. &c:*

DEFENSIO SECUNDA
B. VIRGINIS MARIÆ

In qua Cultus & Invocatio ejus, Rationibûs Theologicîs, Sacrâ Scripturâ, antiquiſſimæ Chriſtianitatis Senſu, & lumine rectæ rationis nixîs, evincitur.

§. I.

Specialiter colenda & invocanda eſt B. V. Maria, quia eſt Dei Genitrix, Mater Chriſti.

30. Sanctiſſimam Virginem verè & propriè Deiparam eſſe, quatenus Salvatorem noſtrum Deum verum Mundo peperit, veritas eſt Catholica, in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi, Contra Neſtorianam impietatem definita: juxta illud Eliſabeth Luc: 1. *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?* Et Angeli,

Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et Apostoli ad Gal; 4. *Misit Deus Filium suum factum ex Muliere.*

31. Hinc autem sequi, Pretiosissimam Matrem, speciali Cultu & Veneratione prosequendam esse, testantur Angelus & Elisabeth, hac de Causa *Beatam, Benedictam inter Mulieres*, collaudantes. Quapropter Evangelista Matthæus C. 1. Genealogiam Christi describens, volensq; cunctas Mariæ Laudes quasi in Synopsim compingere, illud exaravit, unde facilè, gloriosa quæquæ de hac Virgine inferre valeamus, inquiens: *De qua natus est JEsus, qui vocatur Christus.* Antiquus Ecclesiæ Doctor S. Ephræm (qui circa Annum Christi 370.) Sermone de Laudibus Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, postquam eam vocâsset, *Gloriam Prophetarum, Præconium Apostolorum, Honorem Martyrum, Coronam Virginum, Lætitiam Sanctorum omnium*, appellat quoq; *Splendorem Moysis.* Quare? Sicut enim Moyses Splendorem in vultu suo, ex diuturno cum Deo Colloquio conceperat; ita Virgo Mater, non solùm ex continua cum Filio Dei Sermocinatione (*conservabat omnia Verba in Corde suo Luc. 2.*) verùm ex proxima conjunctione cum eodem, in Utero, in gremio, in Templo, in crucis patibulo, in Sepulchro, grandem, cunctisq; laudibûs nunquam satis explicabilē Splendorem participaverat. Ut proinde S. Epiphanius (post tertium Christi sæculum) Serm: de laudibus Mariæ, tenuitatem suam meritò incusaverit dicens: *Miser ego sum,*

qui

qui effulgentes Splendores Deiparæ, & admirandum Propitiatorium, verbîs consequi tentavi. O infelicem Conditionem eorum! qui licet Biblia, inquibus Verbum Dei Scriptum continetur, venerentur & colant, Librum tamen Vitæ, Librum Generationis IEsu Christi, unde Verbum Dei vivum & Incarnatum prodiît, colere reluctantur.

32. Sed unà cum Cultu, etiam Invocationem ex proposita Veritate eruamus. Si juxta sanæ rationis Legem, Matrem, quæ nos genuit, & enutrivit, seu ad vitam perduxit temporalem, honorare (ut supra vidimus) obligamur, quidnî Matrem illam, quæ in Christo vitam nobis peperit æternam? Rectè hìc Origenes in Joannem: *Omnis verè Christianus Filius est Mariæ.* Jam, si ipsius Naturæ instinctu compelluntur parvuli, ut urgente necessitate, nutrimentum & panem perquirant apud Matrem, & ingruente Patris irâ, refugium sumant ad Eandem, quis non fatebitur, Rationis naturalis, supernaturali lumine illustratæ esse, in necessitatibus nostris ad Matrem hanc svavissimam, ejusqꝫ Patrocinium recurrere?

33. Si Fæderis Arcam, qua Manna, Legis tabulæ, & Virga Aaronis servabantur, Deus ipse in tanta veneratione esse voluit, ut eam Ex 25. v. 11. 20. Aurô mundissimô, & Cherubinorum Alîs operiendam statuerit; quanto in honore non habenda *Arca illa Spriritu S. deaurata* (ut B. Virgo in hymno Græco apud Buleonem nuncupatur) quæ Panem de Cælo vivum,

vum, ipsummet Legislatorem & Summum Sacerdotem Visceribus suis complexa est? Et si super inanimatam veteris Testamenti Arcam, locandum erat Propitiatorium, Exo: 26. v. 34. Multò magìs, per Interpositionem hujus Novæ, quærenda apud Deum & Christum est Propitiatio. Ut proinde S. Methodius Martyr Orat: in Hypapant: Deiparam, *Arcam vivam & animatam, ac velut Propitiatorium in terris.* S. quoque Epiphanius superiùs citatus, *Admirandum Propitiatorium*, merito appellaverint. Si benedixit Dominus Obededom propter Arcam 2. Reg: 6. v. 12. Quomodo non benedicet nobis propter Mariam?

34. *Si Jratus est Dominus & percussit Ozam super temeritate, eò, quòd Manum ad Arcam extenderit 2. R. 6.* v. 7. Quomodo non indignabitur illis, qui manum & calamum extendunt contra eam, quam Epiphanius Orat: in laudibus Deiparæ, vocat *Arcam Gloriæ Spiritualis*, Beatissimam Virginem Mariam? Si Philisthæos inter, *Confusio mortis magnæ facta est 1. R. 5.* v. 5. eò quòd Arcam Domini Idolo suo Dagon coæquâssent; Quid non fiet illis, qui Matrem Dei suis Uxoribus comparant, ejusque Invocationem, Idololatriam calumniantur? Si superbissima illa Michol sterilitate percussa est, 2. R. 6. v. 16. eò, quòd despexisset Davidem, ante Arcam processionaliter exultantem; quomodo plectendi sunt illi, qui Honorem *Arcæ Sanctæ & indissolubili* (sic B. Virginem Sermone 6. de Ascen: compellat Chrysostomus) exhibitum, irrident sacrilegè

& de-

& deſpiciunt? Conſiderent homines ejuſmodi, per Animæ Salutem obſecro! quæ dico: Si Deus terram, in qua Moyſi apparuit, venerandam eſſe præceperat: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra Sancta eſt*, Exo: 3. v. 5. Si vel Scabellum Pedum ſuorum coli debet. Pſal: 98. v. 5. Quod ens ratione præditum,ampliùs deſiderabit Mandatum colendi Virginem, in cujus Utero & Gremio Dei Filius Sedem ſuam fixerat?

35. Poſtquam Animoſa illa Judith Holofernem Capite minuiſſet, benedixerunt eam omnes unanimi conſenſu: *Tu Gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſràël, tu Honorificentia populi noſtri; quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuũ, eò quòd Caſtitatem amaveris. Judith: 15. v. 11.* Poſtquam Virgo Maria, Grandem illum Mortis & Inferni Debellatorem Chriſtum JESUM, Mundo enixa, & hoc ipſo in Veſtigio, caput antiqui contrivit ſerpentis, adhuc inter Chriſtianos, reperiuntur homines, qui Eam laudibus efferre deteſtantur, & ſimilia in honorem ejus concinnata Encomia, Cultum Idololatricum impiiſſimè proſcindunt! Quia Debora (Judic: 5.) Populum ſuum ab hoſte liberaverat, dicta eſt *Mater in Iſràël.* Maria Salutem toti Mundo peperit, non tamen ut Mater ab ingratiſſimis filiis honoratur! Quoniam Eſther *Invenit Gratiam in conſpectu Regis Aſſveri c. 2. v. 9.* ideo, & intercedere pro Populo, & Salutem eidem impetrare valebat. Licèt autem ipſe teſtetur Angelus de Maria: *Inveniſti Gratiam apud Deum Luc. 1. v. 30*

v. 30. Talis nihilominus reperitur Populus, qui Eam nec intercedere pro Nobis apud Deum, nec impetrare, quæ petimus, posse, injuriosè arbitratur! Attendite! auscultate! quomodo Athanasius circa Annum Christi 325. Sermone de Deipara disserat: *Ex eo, quia ex te prodiit Rex, Dominus ac Deus noster, hac de causa factum est, ut omni gratiâ abundares.*

36. Infero igitur & concludo: si ex eo, quòd Virgo Maria sit Dei Genitrix, sequitur, Eam omni abundare gratiâ: Ergo habet & Gratiam, necessitates, precesq; nostras cognoscendi, & Gratiam Intercedendi pro nobis, & Gratiam impetrandi à Deo, quæ nobis sunt necessaria.

OBTRUDUNT ADVERSARII.

37. Et quidem haustum ab impiissimo illo Venefico Constantino Copronymo Toxicum propinantes, videlicet: Mariam tamdiu honorandam fuisse, quamdiu Christum gerebat in Utero, posthac verò factam aliis Mulieribus æqualem. Deum bonum! Quantæ ineptiæ! Ergone Mater Regis tunc solùm honorari digna, dum Prolē Regiam portat in utero? postquā verò peperit, minimè? Si Augustissima Virgo Mater singulari digna fuerat Veneratione propter Christū nondum natum; multò magìs propter Christum Mundo genitum. Sed & quanta mendacia! quanta Sacris Literis Recalcitratio! Numquid non Angelis ipse Salutatione reveren-

reverentissima, priusquam Dei Verbum in Virginis uterum descenderet, eandem prosecutus? Numquid non Virgo ipsa Spiritu S. plena, de Posteris suis prædixerat: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes Generationes?* Luc: 1. v. 48.

§. 2.

Specialiter colenda & invocanda est B. V. Maria, quia per hoc Christus JEsus summopere glorificatur.

38. Philosophorum Axioma est, *Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magìs.* Id est: propter quem veluti Finem aliquid intendimus aut appetimus, illum ipsum vel ideo magìs intendimus appetimusq;. Quoniam itaq; B. Virginem principaliter colimus propter Christum, colimus enim quia est Mater ejus. Hinc manifestè deducitur, Nos per Virginis Laudes, Christum ipsum magìs & principaliter colere. Item: quia invocamus eandem, ut Christum oret, ut per Christi merita Nobis impetret, quæ poscimus, apertè sequitur, quod invocando B. Virginem vel maximè Christum ipsum invocemus.

39. Si Salvator sic de suis loquitur Discipulis: *Qui vos spernit, me Spernit. Luc: 10. v. 16. Qui Vos recipit, me recipit Mat: 10. v. 40.* Et per Consequens: Qui vos honorat, me honorat. Quis ambigat, idem potiori Jure de Sanctissima ejus censendum esse Genitrice? Qui spernit Matrem meam, me spernit; & è converso, qui honorat Matrem, me honorat. Si æternæ Veritatis Effatum est, *Quod uni ex Fratribus*

meis

meis minimis fecistis, mihi fecistis Mat: 25. v. 40. Igitur à fortiori verum est: Quod Matri meæ in honorem facitis, mihi facitis. *Magnificat Anima mea Dominum* exclamat Virgo Beatissima Luc: 1. Sed quomodo illa Deũ, quomodo Christũ Filium Suũ magnificavit? Honor Matris magnificat Filium. Hinc S. Thomas Aquinas p. 3. q. 28. Art. 3. ad 6. *In Evangelio non consvevit nominari Maria, nisi quod sit Mater JEsu.* En! nominando, laudando, invocando Mariam, nominamus, laudamus, invocamus JEsum. Meritò proinde piissimus ille Cardinalis, Gofridus Serm. 8. omnes adhortatur: *Nibil in hujus Virginis laudibus hæsitemus: honorat siquidem Filium, qui laudat Matrem.* Et S. Bernardus Hom: 4. super Missus est: *Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere.* Et iterum Serm: de aquæ ductu: *Totis præcordiorum affectibus Mariam venereмur, quia sic est Voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

40. Mat: 16. v. 13. Percontatur Salvator: *Quem dicunt homines esse Filium Hominis?* Respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Non quærit Dominus, Quem dicunt me esse homines? sed Filium se hominis vocat, id est Mariæ. Mentionem facit Matris secundum Humanitatem, dum erat Filius Dei proclamandus: ut indicaret, quòd honori sibi ducat, honore dignam habere Matrem. Et ideo toties in Evangelio, ubi Potestatem, Dignitatemq; suam manifestaturus erat, se filium Hominis, id est Matris Mariæ vocitat, ut omnibus pateat, honorem

norem Matris, suum esse. Exem. Causâ, Marci 2. v. 10. *Ut autem sciatis, quia Filius Hominis habet Potestatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico: tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & vade in Domum tuam.* Et Joan: 5. v. 27. *Potestatem dedit Ei, Judicium facere, quia Filius hominis est.* Et Luc: 6. v. 5. *Filius hominis, Dominus est etiam Sabbati.* Si igitur Christus, quoties Authoritatem suam explicat, debitumq; sibi Honorem à Mortalibus exigit, Matris mentionem facit, Filium se hominis nuncupando; quis adhuc vel subdubitare poterit, quòd Mariæ Laudes, sint Christi, encomia? *Egredimini & videte Filiæ Sion Regem in Diademate* (exclamat Salomon Can: 3. v. 11.) *quo coronavit illum Mater sua, in die Desponsationis illius.* Hæc ordinariè illi, qui plùs quàm Salomon, Christo videlicet Salvatori, SS. Patres in Spiritu applicant. Sed quo, quæso, Diademate coronavit Filium Suum Maria? Laudes & honores, quas tribuimus Matri, corona sunt Filii. Hinc Ambrosius Lib: 1. de Virginibus: *Quid Nobilius Dei Matre? quid splendidius eâ, quam splendor elegit?*

41. Veritas nostra, ex recta Invocationis Sanctorum in communi, explicatione pateat luculentiùs. Quid, quæso, est, Invocare Sanctos? Non idem profectò est, ac dicere: Vos Sancti propria Authoritate, virluteq; propria hoc vel illud præstate: vos date nobis Gratiam & Gloriam: Vos pro peccatis nostris satisfacite: Vos Meritîs vestrîs Remissionem delictorum evincite &c: (sicut perversè & malevolè

com-

commentantur Adversarii) cùm plùs quàm satis perspectum sit Catholicis, nullam puram Creaturam, Opus aliquod supernaturale propriîs naturæ viribus efficere, aut condignam pro peccatis nostris satisfactionem exhibere posse. Neq; est dicere: Vos Sancti orate pro nobis; nos interim otiabimur &c. (ut itidem nugantur Oppositi) Ast invocare, idem est, ac elevando in illam Supernorum Civiùm Ecclesiam, Mentem, convocare Sanctos, ut unâ nobiscum, coram Divina Christi Salvatoris ad dextram Patris sedentis Majestate, suppliciter procidant, Eundemq; adorent, glorificent, ac deprecentur pro nobis. Et ideo Catholica Ecclesia cunctas Orationes suas etiam de Sanctis, ad Christum dirigere, sicq; concludere solet: *Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum* &c. Nonne hac orandi Methodo principaliter invocamus Christum; & juxta Psal: 150. *Laudamus Deum in Sanctis suis?* Nonne magìs & à pluribus laudatur Salvator, cùm Sanctorum preces exposcimus, quàm dum eas negligimus? Si itaq; B. Virginem colere, ejusq; implorare Patrocinium, idem est, ac Eandem unà cum reliquis Sanctis in laudem & Adorationem provocare; quis salvâ conscientiâ aut recta ratione, Cultum & Invocationem ejus reprobaverit?

OBTRUDUNT ADVERSARII.

42. *Deum adorabis & illi soli Servies &c:* Verùm nemo Christianorum adeo rudis, ut nesciat

ſciat Deum ſolum cultu Divino, id eſt, ob Excellentiam ſupremi Dominii, primi Principii & Finis ultimi, adorandum eſſe. Nec ullus unquam Catholicorùm, id ipſum Virgini Matri præſtare poſſe ſomniaverat. Sed honoratis Mariam veluti Deam, reponunt Novatores. Reſpondeo, id meram calumniam eſſe: cùm nullus ex nobis, adeo ſit ſtolidus, ut arbitretur B. Virginem, Excellentiam & Naturam habere Divinam. Colimus Matrem hanc veluti puram quidem Creaturam, aſt excellenti Gratia Dei exornatam & Chriſti Genitricem. Seu colimus propter eximia Dei Dona ſupernaturalia, eidem ex Chriſti Meritis conceſſa; adeoq; Cultu quidem Religioſo, ſeu majori quàm ſit Civilis & Politicus, imo quàm aliis Sanctis tribuatur, nequaquam tamen Divino.

43. Numquid non genuflexiones, aliaq; opera externa, qualia Deo fieri ſolent, in Mariæ honorem facere conſveviſtis? Urgent zeloſi ad Speciem Obtrectatores. Reſpondeo: Numquid & vos, non ſimiles Reverentias, imo multò majores, quâm ipſimet Deo, hominibus exhibetis peccatoribus? Deum colitis, exporrecta fronte, & Galero Ori impoſitô, ſtantes in Eccleſia: Principes autem creatos, etiam flexo poplite, & provoluti ad plantas, veneramini. Quot vibrationes, quot propenſiones, quot inclinationes, venerationis ergo, non exhibent veſtri Paſtores Dominis ſuis Collatoribus? aut Procus Sponſæ, aut debitor Creditori

C tori

tori ſuo? ideone iſtos, tanquam Deos adoratis? Reſpondetis, nequaquam: non enim actionibus hujuſmodi Cultum Divinum ſed Civilem exprimere intenditis. Bene eſt: pariter & Nos, tot Exhortationibûs Populi proteſtamur, noſtræ Intentionis non eſſe, memoratîs, Cerimoniîs Cultum quendam Divinum facere Virgini; nec etiam merè politicum, (id enim eſſet ineptire) ſed medium, Religioſum videlicet, ſeu propter eximia Dei Dona. En, quantùm ab interiori hominum intentione externa dependent Opera!

44. Cur igitur ſacrificatis, Templa & Altaria Virgini Mariæ dedicatis? Obſtrepunt adhuc Adverſarii. Reſpondeo, id pariter figmentum eſſe. Hanc etenim actionem externam, Divino ſcimus Cultui appropriatam eſſe. Sacrificium Miſſæ nemini offertur alteri à nobis, & quæ ad illud referuntur, Eccleſiæ, Altaria, nemini dedicantur, niſi ſoli Deo. Tametſi ſub Nomine, & in memoriam ac honorem D. Virginis, aut alterius Sancti, eatenus, quatenus præterea Interceſſio Ejus apud Deum expoſcitur. Urgent: Numquid non petitis, *S. Maria fac nobis hoc, da nobis hoc, juva nos &c:* Verùm hæc & ſimilia, ſano à Catholicis accipiuntur ſenſu. Fac, da, juva, eo modo quo potes, orando videlicet Chriſtum, implorando à Deo &c; Indubitatum ſiquidem nobis eſt, neminem Sanctorum, præter Chriſtum, propriâ potentiâ aut Poteſtate, Dona conferre poſſe ſupernaturalia. Et hic loquendi modus,

dus, quòd nimirum locô vocis, *intercedere*, *impetrare*, interdum abhibeatur, *facere*, etiam dum preces Mortalium expetuntur, jam usu receptus est inter homines. Tametsi communiùs Ecclesia, quoties B. Virginem, aut alium Sanctum invocat, hoc utatur vocabulô: *Ora pro nobis*; quoties Christum: *Miserere, dona nobis gratiam &c:*

45. Verbô, quod olim S. Augustinus in psal: 96. scribens, Ethnicis, similia primis Christianis, ex ignorantia objicientibus reposuerat, idem Novatoribus ex malitia obtrudentibus Respondeo: *Utinam & vos, illos (Sanctos nostros) colere velletis: facilè enim disceretis, nos non colere ut Deos, sed ut Sanctos.*

§. 3.

Specialiter colenda & invocanda est B. V. Maria, quia Nemo plus obsequii Christo Salvatori nostro exhibuit; nemo plus adversitatis cum eodem sustinuit, Quàm Maria.

46. Hæc est utiq; piissima Mater, quæ Salvatorem, Redemptorem, Legislatorem nostrum Christum JEsum, 9. mensibûs sub Corde suo gestavit. Hæc eum genuit, & detractô sibi linteolô, fasciis involvit, Uberibûs lactavit, gremiô fovit, manibûsq;, ne offenderet ad lapidem pedem suum, sustentavit. Hæc de paupercula penu sua, par Turturum, ut juxta Legis consvetudinem, dulcissimum redimeret Infantem, deprompserat. Hæc labore manuum suarum Eundem enutrivit, &

Domi suæ ad trigesimum usq; ætatis Annum, donec tempus Prædicationis Evangelicæ elucesceret, educavit. Hæc & Cibum providebat, & coquebat ipsa: panem porrigebat esurienti, & potum sitienti, vestemq; Salvatori inconsutilem manibûs suîs contexuit. Hæc Svavissima Mater etiam sub tempus Prædicationis Evangelicæ, Christi Filii sui curam, suppeditando pro modulo suo necessaria, non reliquerat: ut colligitur ex Joan: c. 2. v. 12. *Descendit Capharnaum ipse & Mater ejus.* Et Mat: 12. v. 46. *Eo loquente ad Turbas, ecce Mater ejus & Fratres stabant foris, quærentes loqui ei.* Idem legimus Marci 3. v. 31. & Luc 8. v. 20.

47. Hæc Mater amabilis ne quidem Passionis tempore, vel cum gravissimo vitæ periculo, Filium deseruit: Sed fugientibûs Discipulîs, secuta est eum usq; ad mortem, mortem autem Crucis. Sub ferali ligno immota permansit, donec JEsus efflaret Spiritum. Et mox ubi S: animam in manus æterni Patris tradidisset, ipsa Corpus de infami Trabe in manus suas & gremium recipiens, tumulo inseruit. Metaphrastes die 15. Augu: ex aliis Antiquioribus annotavit, Matrem hanc Christi amantissimam, pretiosum ejus Sanguinem sub Cruce, quantum licuit, sollicitè collegisse; propriîs in deponendo Corpore inservisse manibûs; clavos in sinum suum, reposuisse; lacrymîs plagas implêsse; nec non Joseph ab Arimathæa, ut audacter introiret ad Pilatum & Corpus JEsu peteret, hortatam fuisse.

48. Quis igitur omnis pietatis & gratitudinis sensu adeo destitutus est, ut piissimam, totq; charitatis obsequiis de Salvatore nostro optimè meritam Matrem, devotissimo affectu & Cultu prosequi reluctetur? Quis adeo hebes, ut facilè non colligat, quàm clemens quàm pia sit dulcissima Virgo Maria; quàmq; obstrictum sibi reddiderit Filium? Quomodo Christus, qui Deus, qui bonus, qui misericos est, illius preces, quæ tantùm sibi obsecuta, non exaudiet?

49. Quæ verò cum Christo & propter Christum perpessa sit, nemo satis explicaverit. Pro virgineo edendo Partu, locus non est ei datus in Diversorio, ac proinde coacta est Salutem Mundi parere in stabulo. Quot non elicuit gemitus cum gemente in præsepio? quot non profudit lacrymas cum flente in gremio? Rigebat cum rigente, tremebat cum tremente, cum esuriente deficiebat. O quoties ingemuit! *Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus. Can: 1. v. 13.* Ubi intellexerat, Tenellum suum à crudelissimo Herode quæri ad interitum, nonne commota sunt magis, quàm in illa apud Salomonem Muliere, omnia viscera ejus? Periculosissimo illo in itinere, cùm fugeret in Ægyptum, quæ non sustinuit? quantâ non premebatur egestate in terra aliena: omni humano, Idololatras inter & Barbaros subsidiô destituta. Acerbissimo quoq; dolore, cùm duodennem Jesulum suum, Deo ex altissimis finibus suis sic ordinante, amisisset, repleta fuerat: ut ingemisce-

miſcere cogeretur: *Fili, quid feciſti nobis? dolentes quærebamus te. Luc.* 1. Etiam Judæorum obſtinatam incredulitatem, quæ tot Signîs de Cælo ad agnitionem veri Meſſiæ moveri non poterat; omnes eorum Machinationes adverſus Chriſtum; odia, contemptus, dum Fabri Filium compellarent, & de Civitate in Civitatem perſequerentur, Virgo hæc, cui Cæleſtia patebant Sacramenta, vehementiſſimè ſentiebat.

50. Quæ unquam Mater graviores in Corde ſuo cruciatus pertulit, quàm hæc Sanctiſſima, cùm videret pretioſum dulcis Nati ſui Sanguinem, mille inter tormenta & opprobria, quem primitus de viſceribus ſuis hauſerat, ad ultimam usque profundi guttam? Quot Filii vulnera, tot enſes Materna ſauciabant viſcera. Quot alapæ & contumeliæ, tot ſagittæ penetrabant Animam. *Stabat juxta Crucem JEſu, Mater ejus*, inquit Evangeliſta Joannes c. 19. v. 25. In omnibus adverſis Maria cum JESU. Maria cum JEſu in Bethleem, Maria cum JEſu in Jeruſalem: Maria cum JEſu juxta Præſepe, dum naſcitur; Maria cum JEſu juxta Crucem, dum moritur. Fidelis Mater Filio ſuo usque ad Mortem, mortem autem crucis. Non poſſunt ab invicem divelli, qui tanta erga invicem conjunguntur Charitate.

51. Sed audiamus etiam Auguſtinum (circa An: Chriſti 390.) de hac Matre juxta Crucem, diſſerentem. *Cruciat te Domine JEſu dolor tuus, ſed non minùs dolor Matris tuæ. Non eſt mirum,*

rum, si doles & condoles; si pateris & compateris bone Fili, in desolatione Matris, in commendatione Matris. Nunquam enim te deseruit: non in infantia, non in pueritia, non in adolescentia, nec in juventute, non in Passione tua. Nunquam defuit tibi ejus Solatium, sed nec obsequium. Lactat Infantem, audit & sequitur Prædicantem, videt & comitatur patientem, contemplatur opprobria, intuetur vulnera, audit tua Verba. Tu verò bone JEsu, quanquam, esset dolor intollerabilis, plaga insanabilis, in agonia mortis & ultimo Spiritu constitutus, non oblivisceris Matris tuæ: Caput inclinas, & Eam in Matrem Joanni commendas, & eum sibi in Filium adoptas. Felix depositum! singulare privilegium! insigne Solatium! Urgebat te siquidem Præceptum Domine JEsu: jussisti: Honora Patrem tuum & Matrem tuam. Servitium quòd ipsa exhibuit tibi, exemplum est Posteris relinquendum. Considerare libet, bona Mater, & Genitrix & Nutrix, & Filia desolata, quis tibi dolor tuus, quæ angustia tua. Vides Crucifixum Unigenitum tuum, Revera, viscera tua penetrat gladius: configit Animam tuam lancea, clavus; laniat Mentem tuam spinarum aculeus, lacerat Cor tuum Filii tui amarus aspectus. Vulnera Filii tui sunt vulnera tua: Crux Filii tui est crux tua: Mors ejus Mors tua.

52. Cum simili Emphasi de Virgine Matre loquitur Hieronymus de Passione Domini: *Quot passiones in Corpore Filii, tot vlnera in Corde Matris; clavi, quibûs Corpus JEsu pendebat in cruce, etiam Cor Virginis confixum habebant; nullum ictum recipiebat Corpus, cui non tristis Echo in Corde dolorosæ Matris responderet.* Et ideò testatur S. Anselmus

selmus lib: de Excellentia Virginis: *B. Virgo in Passione Christi Filii sui verè interîisset præ magnitudine doloris, nisi ab Eo præservata fuisset.* Quamobrem à Richardo à S. Lauren: lib: 3. de laudibus Virginis, *Regina Martyrum nuncupatur.* Sic enim de Ea loquitur: *Ipsa fuit Martyr in Anima, & gladius doloris, qui per transiit Animam ejus in Unigeniti sui Passione, pro amarissimo omnium Martyrio computatur.*

53. Hac itaq; Meditatione illuminatus, quiscunq; sincerus Christi Cultor dijudicet, num piissima Virgo, quæ tanta cum Christo & pro Christo pertulit, non mereatur, singulari Cultu, innumerîs laudibûs, omni corde, linguâ, & calamô celebrari? Quid non impetrabit à Filio suo? Pulcherrimè SS. Patres vel ex verbis illis, quibûs Salvator è cruce propendens, Matrem suam & Discipulum affatus est, veritatem ac utilitatem Invocationis ejus colligunt. Dum Regina Martyrum, atrocissimum in Monte Golgoteo, sine sanguine pateretur Martyrium, dum illa Consolatrix afflictorum, gravissimo perfusa dolore, decumano tristitiæ fluctu obrueretur, ecce! fertilissima nobis omnibus lætitiæ oblata est Materia. Quod enim Joanni à Christo dictum, *Ecce Mater tua*, id ad nos quoq; spectare, antiquissimi testantur Doctores. Origines in Joan: inquit; *Omnis Christianus, Filius est Mariæ.* Sanctus verò Epiphanius de laud: Virg: ulterius progreditur exclamans: *Refugium facta es, O Maria! nam nemo desolatus te accedit, qui non consolatus recedat;*

nemo tentatus, gratiam implorat, qui non victor abscedat; nemo veniam desiderat, qui non de tua Misericordia glorietur. Et S. Anselmus Orat: 6. ad B. Virginem: *Ergo Mater Dei est Mater nostra! O beata fiducia! O tutum refugium!* (Verùm de hoc mox enucleatiùs.) Et certè ipsum rectæ rationis lumen divinitùs illustratum, sequelam hanc dictat esse legitimam: Si Virgo Maria potest orare pro nobis (ut ex plena futiliùm objectamentorum confutatione manifestè liquet) nihil profecto oberit, quominus & oret, & impetret nobis Bona à Filio suo: ut, sicut cum eodem acerbissima quæquæ sustinuit pro hominibus, nunc quoq; cum eodem in Gloria, laudetur & exaltetur ab hominibus.

OBTRUDUNT ADVERSARII.

54. Matrem Christi honorandam quidem esse, sed cultu Civili non Religioso, ut faciunt Catholici. Respondeo, objicientes aut potiùs obtrectantes nescire quid loquantur; cùm Cultum religiosum, arbitrando quemvis, Divinum esse, nequidem intelligant. Sciendum itaq; est, quòd Cultus & Honor Civilis aut politicus ille dicatur, qui exhibetur homini ob Excellentiam merè Civilem, videlicet Sapientiam, Potentiam, aut Nobilitatem præcisè humanam. Cultus verò & honor religiosus est ille, qui præstatur alicui, propter supernaturalia Dei dona, ut Sanctitatem, Gratiam, Virtutes &c: Quis igitur sanæ mentis, cultum

ejus-

ejusmodi religiosum B. Virgini pernegabit? Talis utique eidem in Sacris Literis ab Angelo & Elisabeth exhibitus. Maximè cùm delirare sit, dicere, quòd Angeli hominibus, cultum exhibeant politicum. Fateor quidem, (quod & omnibus notum est) Cultum religiosum talem qui sit Divinus, seu propter Excellentiam Divinam, tanquam Supremi omnium Domini, principii & ultimi Finis nostri (qui & Latria nuncupatur) nulli Sanctorum, præterquam Deo & Christo exhibendum esse. Medius tamen hunc inter & Civilem, rectè tribuitur Sanctis, quem proinde sano sensu Duliam nominamus. Et quoniam Sanctissima Christi Mater supernis Dei donis, cunctos post Deum & Christum longissimè excedit Sanctos, ideo honorem sibi tribuendum, Superduliam dicimus.

§. 4.

Specialiter colenda & invocanda est B. V. Maria. Quia est Mater nostra.

55 Quòd svavissima Dei Genitrix omnium rectè Credentium Mater sit spiritualis, non solùm ex eo, quià vitam Animæ, quæ est Christus, nobis peperit, & Materno prorsus amore opem suam invocantes prosequitur, verùm etiam hinc perspicuè. Si enim Paulus ad Galat: 4. gloriari poterat: *In Christo JEsu per Evangelium ego vos genui*: potiori jure Maria. Hæc utique Magistra Apostolorum & Evangelistarū fuerat; illa dictante & narrante Apostolis Mysteria, Fidem

dem Christianam & Sacram Scripturam accepimus. Et ideo tamdiu post Salvatoris Ascensionem in terris retenta est. Præter supernaturalem enim Spiritûs S Assistentiam, etiam connaturalem Directricem, nimirum Matrem suam Christus Apostolis reliquerat, quæ plurimas Fidei veritates, eosdem, sensibiliter edoceret. Multa profectò, quæ ad S. Joannis Baptistæ Præcursoris conceptionem & Nativitatem spectant, ad Christi Incarnationem, ad Visitationem S. Elisabeth, & mysteria ibidem peracta, ad Christi Nativitatem, Circumcìsionem, Magorum adorationem, Præsentationem in Templo, ad fugam in Ægiptum, ad ejus in Templo inter Doctores inventionem, ad descensum in Nazareth, ubi erat subditus Matri & Joseph, usq; ad Baptismum Joannis, & plura alia usq; ad Crucem. Quæ omnia à Virgine) *conservabat enim omnia verba conferens in corde suo. Luc: 2.*) acceperunt Apostoli. Quapropter Lucas initio sui Evangelii inquit c. 1. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt sermonis.*

56. Audite! quid antiqui hac de re loquantur Patres. Augustinus lib: de S. Virginitate c. 6. inquit: *Illa una Fæmina, Spiritu planè Mater est membrorum Salvatoris, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius Capitis membra sunt, cujus Capitis corpore Mater est.* Et Eusebius Emissenus Serm: 2. de Nativ: Domini: *O Mater Sapientissima! O sola talis Filii dignissima! Quæ omnia verba*

hæc in corde tuo ideo conservabas nobisq́ conservabas, & memoriæ commendabas, ut postea te docente, & narrante & nuntiante, scriberentur, & universo Mundo communicarentur, cunctisq́ Nationibus nuntiarentur. Ab ipsa hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt &c: Et Antoninus part: 4. tit: 15. c. 22. *Ascendente Christo remansit Magistra Doctorum Ecclesiæ Apostolorum & Evangelistorum. Unde dicitur Act: 1. Hi omnes erant perseverantes in oratione cum Maria Matre JEsu.* Et Ambrosius lib: de Instit: Virg: c. 7. *Mirum non esse, præcæteris Joannem locutum fuisse Mysteria Divina, cui præsto erat Aula Cælestium Sacramentorum.* Testaturq́ Hieronymus, Rupertus, Anselmus &c: ideo Deiparam tot Annis post Christi Ascensionem in terris mansisse, ut Apostolos, áliosq́ fideles instrueret & consolaretur. Quod ipsum S. Brigittæ à B. Virgine revelatum scribitur lib:6.Revel: c.61.

57. Si igitur Virgo tot titulis Mater est Ecclesiæ, & quidem quoad Spiritum & Religionem Mater, quis ambigat, eandem speciali eoq́ religioso Cultu honorandam, & ipsius rectæ rationis instinctu, quavis in necessitate, veluti Matrem à Filiis invocandam esse?

§. 5.

Specialiter colenda & invocanda est B. V. Maria, Quia nullô unquam vel minimô peccatô fuerat inquinata.

58. Immaculatissimam Dei Genitricem, nullô unquam peccatô, ne minima quidem labe, aut nævô inquinatam fuisse, ex Sacris

Lite-

Literis invenimus. Si enim Angelo teste (Luc: 1.) irrestrictè dicitur, Gratiâ plena, si Benedicta inter Mulieres, si Dominus specialiter cum Ea, quomodo poterat in ea locum habere peccatum? Decebatne Christum Salvatorem, Agnum illum immaculatum qui tollit peccata mundi, Dei Filium qui nos reconciliavit Patri, talem habere Matrem, talemq; ex ea Carnem suscipere, quæ aliquando, (sive interim ante, sive post Partum) Deo rebellis, & jugo Diaboli, idest peccato mancipata fuisset? *In malevolam Animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap: 1.* Joannes, ut Christi Præcursor fieret, Sanctificari, & vel ideo exultare debebat in utero. Luc: 1. Angeli boni, ut ejus Ministri essent, ab omni præservati sunt culpa. Quomodo ergo permittere poterat Deus, ut Matrem Filii sui peccatrix ageret? Christus non aliam habere voluit Matrem, nisi Virginem: Et elegisset peccatricem?

59. Ad Reginam Esther inquiebat Assverus: *Non pro te, sed pro omnibus hæc Lex* (mortis) *constituta est. Esther 15. v. 13.* Et Dominus Matrem suam, de qua humanam Naturam assumpserat, à communi peccati Lege excipere non valebat? Vel non potuit, vel noluit? dic quæso: Si primum dixeris, Divinæ derogas Omnipotentiæ: si secundum, Deum facis amatorem peccati, quòd talem elegerit Matrem, quam, licèt potuisset, noluit tamen præservare à peccato. Graviter præterea Salvatori

nostro

nostro detrahis, cùm id sibi, quod est gloriosiu, contra commune Theologorum Principium deneges, duplici videlicet Titulo Redemptorem esse, non tantùm Curativum respectu Generis humani, sed & Præservativum respectu Matris suæ.

60. Veritas hæc etiam ex ipso B. Virginis Responso, quod Luc: 1. Angelo dederat, relucet. Postquam Angelus Gabriel Verbi Divini Incarnationem, in purissimo Virginis Utero instituendam annuntiâsset, Illa reposuit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Nemo dubitat Virginem humillimam, Actum humilitatis perfectissimum protunc elicere voluisse. Sed si ita est, cur non æquè se coram Deo humiliat, atque homines etiam pii ordinariè consveverunt, confitendo se peccatores esse? Sicut David psal: 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Aut sicut Petrus: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Luc: 5.* v. 8. Quis non advertit, Virginem hanc nullius prorsus peccati sibi consciam fuisse?

61. Implicitè id ipsum Paulus ad Hebræ: c. 7. v. 26. Christum Summum Pontificem describens, expresserat: *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Quomodo autem segregatus à peccatoribus, si Mater ejus, cujus carnem susceperat, à qua enutritus & educatus est, peccatrix fuisset? 1. Joan: c. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen*

ipsius

ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo natus est. Si peccatum non facit Amicus & Filius Dei adoptivus, quamdiu manet talis per Gratiam, quæ cum gravi componi nequit delicto! multò minùs peccatum faciet Mater Dei, aut Maternitas hæc tantâ præterea Gratiæ plenitudine abundans, vel cum levissima culpa componi poterit. Maximè cùm Christus Dominus plus amare debeat Matrem, quàm Amicum.

62. Ejusdem Sensûs de immaculatissima Christi Matre, etiam Antiquissima (ut constat ex Patrum tam Latinorum quam Græcorum consensu) semper fuerat Ecclesia. S. Cyprianus Serm: de B. V. inquit: *Non sustinebat Justitia, ut illud vas electionis* (Maria) *communibûs lassaretur injuriîs, quoniam à cæteris plurimùm differens, naturâ communicabat non culpâ.* Et iterum Serm: de Nativ: c. 2. *Lex carnis Virginem non infestavit, nullaq; rebellio afflixit Spiritûs quietem.* Et Præsbyteri Achaiæ in lib: de passione S. Andreæ Apostoli, hæc referunt ejusdem Apostoli verba: *Sicut de terra immaculata factus homo primus, ita necesse erat, ut de immaculata Virgine Christus nasceretur.* Et S. Augustinus l. de natura & gratia c. 36. *De S. Virgine Maria, propter honorem Christi, nullam prorsus, cùm de peccato agitur, habere volo quæstionem: quia ei plus gratiæ collatùm est, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum.* Idem in expositione Symb: & Orat: Dominicæ: *Conveniens erat ut lege peccati Mater Dei non teneretur obnoxia.*

noxia. Et S. Hieronymus in psal: 77. *B. Virgo est nubes diei, quia non fuit in tenebris, sed semper in luce*, puta gratiæ Librô autem de Nativ: Mariæ Tom: 9. (sicut & Nissenus aliiq;) refert, Sancto Joachim pro suscipienda Sobole oranti, ab Angelo prædictum fuisse: *Anna Uxor tua pariet tibi Filiam, & vocabis Nomen ejus Mariam: hæc erit, ut voluistis, ab infantia sua Domino consecrata, & Spiritu S. replebitur adhuc ex utro Matris.* Et S. Chrysostomus in sua Liturgia, vocat eam, *Immaculatam semper, beatissimam, & penitus incontaminatam.* Et S. Damascenus de Virg: *Ad hunc Paradysum Serpens aditum non habuit.* Et S. Anselmus de conceptione B. V. c. 18. *Decebat Virginem ea nitere puritate, qua major sub Deo nequit intelligi.* Et iterum lib: de Excellentia Virginis c. 3. *Nulli dubium, castissimum Corpus & Sanctissimam Animam ejus, funditùs ab omni fuisse peccati macula, Angelorum custodia protectam, utpote Aulam quam suus & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in suæ Personæ unitate, ineffabili fuerat operatione, suscepturus.*

63. Si itaq; Beatissima Virgo Mater, nullo unquam peccatô vel minimam Dei indignationem aut repulsam promeruit, quomodo non laudanda & colenda ab hominibus? Quomodo non invocanda ut interpellet pro nobis? Quomodo non impetrabit à Deo quæ poscimus? Utiq; Apostolus ipse ad Hebræ: c. 7. v. 26. illum natum ad interpellandum pro nobis, concludit, qui *Innocens & impollutus est,*

nec

nec necessitatem habet priùs pro suis delictis Hostias offerre, deinde pro Populi. Hinc & SS. Patres Deiparam, Refugium peccatorum communiter appellant. Exem: causâ S. Ephræm Serm: de laudibus Mariæ: *Ave peccatorum Refugium: ad te confugere possunt peccatores.* Et S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Orat: de Nativ: Virg: *B. Virgo iis, qui se enormibus peccatis mancipârunt, eximiam remissionis Gratiam conciliat: & iis, qui supra modum deliquerunt, modô quodam eminenti veniam expetit.* Veritatem hanc, quicunque obstinatè pernegat, à Cæco discat Evangelico: *Scimus,* (inquit ille Joan: 9. v. 31.) *quia peccatores Deus non exaudit, sed si quis Dei Cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

OBTRUDUNT ADVERSARII.

64. Injuriosas Virgini Matri calumnias: & dum curiosi in tanta Luce Zoili scrutantur maculas, fallente vestigio in blasphemiæ baratrum præcipitantur. *1.* Dicunt, Interrogationem illam Luc: 1. ad Angelum factam: *Quomodo fiet istud?* curiositatem quandam in Maria, aut incredulitatem arguere. Sed quis non videt, Sanctam hìc potiùs & summam denotari Admirationem? Audite! quid hac de re Augustinus lib: 16. de Civit: c. 24. Et aliquando Sapite! *Non est Virginis Mariæ diffidentia,* (inquit ille) *quòd ajt: quomodo fiet istud quoniam Virum non cognosco: Quod enim futurum esse, certa erat, modum quo fieret; inquirebat; & hoc cùm quærebat; &*

hoc cùm quæsiſſet, audivit, Spiritus S. ſuperveniet in te. 2. Blaterant, peccaſſe Eam Luc: 2. Puerum JEſum per negligentiam amittendo. Præclari illi NB. Magdeburgenſes Hiſtorici in priore libro Centuriæ primæ, non erubeſcunt calumniari, Mariam usq; adeo peccâſſe, dum Filium in Templo amiſit, ut peccatum ejus, peccato Evæ graviſſimo æquiparari queat, imo excedere illud videatur. Sed quàm temerè, quàm malevolè, quàm pervicaciter homines iſti, errori ſuo adhæreſcant, cuivis reflexè Evangelium legenti manifeſtum eſt. Præfatô etenim loco JEſus conquerenti Matri ſuæ, *Fili quid feciſti nobis? Dolentes quærebamus te*: Repoſuit v. 49. *Quid eſt quòd me quærebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt; oportet me eſſe?* Unde apertè liquet Amiſſionem Filii ex ſpeciali Ordinatione Divina, & expreſſa æterni Patris voluntate (quam nulla humana diligentia impedire poterat) contigiſſe. Quàm igitur inconſulta, quàm frivola & calumnioſa Centuriatorum Magdeburgenſium eſt Hiſtoria!

65. 3. Importunitatem quandam in illis B. Virginis verbis Joan: 2. *Vinum non habent*, ſuſpiciunt Audaculi. Aſt homo prudens Maternam in hoc actu Providentiam, nec non in impetrando efficaciam venerabitur. Quis autem ſanus, illius Chriſti Domini Reſponſi, *Quid mihi & tibi Mulier?* Senſus ſit, plus quàm ſatis num: 11. & 12. manifeſtavimus. 4. Etiam illud Mat: 5. *Ecce Mater tua & Fratres tui foris ſtant quærentes te &c:* ventilant, & quæſtum in-

deva-

de vanæ cujusdam gloriolæ, Matri Dei appingunt. Citantq; pro hoc defendendo Scommate S. Chrysostomum. Verùm censendum est, hæc de Fratribus duntaxat dicta fuisse; vel per errorem in Scripta Chrysostomi irrepsisse: cum tot aliis in locis omnino aliter de hac Virgine loquatur: Exempli causâ in sua Liturgia, *Immaculatam semper, Beatissimam, & penitus incontaminatam* enuntiat.

66. 5. *Pater noster*, in medium producunt, asserentes, Orationem hanc omnibus, adeoq; & Virgini Matri præscriptam esse, quamvis in ea habeatur, *Dimitte nobis debita nostra.* Sed facilis est Responsio: nimirum, Deiparam, utpote ab omni peccato præservatam, memoratam Orationis Dominicæ particellam abhibere non debuisse. Sicut pariter, cum salutaretur ab Angelo, non peccatricem se (ut aliàs homines coram Deo fateri tenentur) sed Ancillam Domini confessa est. 6. Tandem non nulli, prorsus dolosè & per jocum sacrilegum, venerari se B. Mariam, profitentur, dicentes: Nos honoramus S. Mariam Dei Matrem, sed fatemur tamen peccatricem fuisse; non quidem peccatricem ejusmodi, qualis fuerat Thamar, quæ se in via prostituendam exhibuit; aut qualis fuerat Magdalena, publica in Civitate Meretrix &c: Sed tamen verè erat peccatrix. En malevolentiam non Divinâ tantùm, sed & humana Fide destitutam! Possetne Diabolus fraudulentiùs decipere homines, & Matrem Dei pungere aculeatiùs?

§. 6.

Specialiter colenda & invocanda est B. V. Maria propter plenitudinem Divinæ Gratiæ & Sanctitatis.

67. B. Virginem Mariam fuisse Sanctitate & gratiâ plenam, adeo ut cunctos post Christum Sanctos longè superaverit, Scriptura & Patres attestantur. Excellentiam hanc satis manifestè declarat Angelus Luc: 1. dicens: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum: Invenisti Gratiam apud Deum.* Et ipsa, dictante Spiritu S. de se fatetur: *Fecit mihi magná qui potens est, Beatam me dicent omnes Generationes.* Meritò proinde huic Virgini illud Scripturæ applicat Ecclesia: *Tota pulchra es Amica mea. Unica perfecta mea. Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora, pulchra ut Luna, electa ut Sol &c:* Et illud Prov: 31. *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

68. Hinc S. Basilius, ex: causa Orat: de Deipara, sic eam continuò salutabat: *Ave Domina Maria gratiâ plena &c:* Et S. Athanasius de Deipara in Evangelium: *Dominus omnem Gratiam largitus est Virgini, qua de causa factum est, ut plena Gratiâ appellata sit.* Et S. Petrus Damianus Serm: 3. de Nativitate Mariæ: *Quid Sanctitatis, quid justitiæ, quid Religionis, quid Perfectionis huic Virgini deesse potuit, quæ totius Divinæ Gratiæ charismate plena fuit.* Et S. Hieronymus de Af. *Cæteris per partes, Mariæ totam se infudit Gratiæ plenitudo.* Et S. Anselmus de Excellentia Virginis c. 9. *Pura Sanctitas, & Sanctissima puritas ejus, omnem*

mnem omnis creaturæ puritatem, Sanctitatemq́; tranſcendit. Et S. Thomas à Villa nova Conci: 2. de Nativ: Virg: ſic loquitur: *Quænam, obſecro, pulchritudo? quænam Virtus? quæ Perfectio? quæ Gratia? quæ Gloria Matri Dei non congruit? Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui ſimbrias, & deſcribe apud te in Animo Virginem, puriſſimam, prudentiſſimam, pulcherrimam, devotiſſimam, humillimam, omni Gratia plenam, omni Sanctitate pollentem, omnibûs virtutibûs ornatam, omnibûs Chariſmatibûs decoratam, & eo gratiſſimam &c:* Nec hìc ſiſtit gradum B. Thomas: pergit monere, ut omnes conatus in deſcribenda & prædicanda Mariæ Sanctitate contendamus, ſubjungens: *Quantum potes, tantum auge; quantum vales tantum adde: Major eſt iſta Virgo: ſuperior eſt iſta Virgo: non eam Spiritus S. Literìs deſcripſit, ſed tibi eam Animo depingendam reliquit: ut intelligas, nihil illi Gratiæ aut perfectionis, aut gloriæ, quam Animus in pura creatura concipere poſſit, defuiſſe.*

69. Nec plenitudo Gratiæ ipſam duntaxat Conceptionem Verbi denotat, priusquam enim hæc fieret, Gratiâ plena pronuntiata eſt ab Angelo. Proinde S. Gregorius in 1. R. 1. illud Iſaiæ 2. *Et erit præparatus Mons Domûs Domini in vertice montium*, applicans B. Virgini: ait: *An non Mons ſublimis Maria, quæ, ut conceptionem æterni Verbi pertingeret, Meritorum verticem ſupra omnes Angelorum Choros erexit.* Et S. Bernardus ſuper Signum: *In eo, quòd tam reverenter atq́; officioſiſſimè ab Archangelo ſalutata eſt, ut jam in Regali Solio, ſupra omnes Cæleſtium ordines Regionum,*

exaltatam cernere videretur. Et S. Laurentius Justinianus Serm: de Nativ: Mariæ: *Illam profectò adhuc in Matris utero decubantem adamavit Verbum, sibiq; in Genitricem elegit, utpote superabundanti jam Benedictione præventam, jamq; S. Spiritûs Magisteriô deputatam.*

70. Quis igitur sensum honesti habens, tantam non colet Sanctitatem? Si Angelus & Elisabeth, mox ubi intellexissent, Mariam gratiâ plenam, & Dominum inaudito à Sæculis modô cum Ea esse, protinus in Laudes & Venerationem effusi, ut ille exclamaverit: *Ave! Benedicta tu inter Mulieres!* hæc: *Beata! Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quis Christianus idem facere tergiversabitur? Aut quis Virginis adeo Deo gratiosæ Interpositionem non exambiet? Si omni ex parte Gratiâ Dei plena, ergo & Gratiâ intercedendi pro nobis apud Filium suum, & Gratiâ impetrandi. Esther pro conditione implorandi apud Regem Assverum Salutem Populo suo, inventionem Gratiæ posuerat, inquiens: *Si inveni gratiam in oculis tuis, dona mihi Populum pro quo obsecro. Esther. 7. v. 3.* En! conditio hæc in Maria respectu Supremi, Cæli terræq; Domini impleta est: testatur siquidem Angelus Luc: 1. *Invenisti Gratiam apud Deum.* Quomodo ergo intercedere pro Populo, quomodo impetrare non valebit? Exclamabo itaq; cum Athanasio (de Deipara in Evangelium) *Retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna Dona ex Divitiis tuarum gratiarum, tu quæ Gratiâ plena.*

OBTRU-

OBTRUDUNT ADVERSARII.

71. Et percontantur, cur tempus hoc quod Laudibus Mariæ, non potiùs laudando Christo impenditis? Respondeo ideo, tum ut Psalmo 15. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, satis fiat; Tum quia, laudando Virginem Mariam, principaliùs, & multò magìs, quàm non laudando, Christum ipsum glorificamus: ut à num: 27. palpabiliter evicimus. Nimis tamen eam colitis: Obstrepunt illi. Sed Respondeo, constare tam ex adductis, quàm adducendis adhuc SS. Patrum Testimoniis, Beatissimam Virginem Mariam nunquam sat dignè laudari posse ab hominibus. Utquid JEsum simul cum Maria ponitis? num hi æquali honore digni? aut solusne Christus insufficiens est, ea præstare quæ poscimus? Respondeo, nequaquam ideo JEsum simul & Mariam ore & corde gerimus, sed his de causis, 1. Quoniàm in ipsa Scriptura, Elisabeth JEsum simul & Mariam venerabunda collaudaverat Luc: 1. v. 42. dicens: *Benedicta tu inter Mulieres, & Benedictus Fructus ventris tui.* 2. Si teste Spiritu S. dum JEsus nascitur in stabulo, dum jacet in præsepio, dum docet in Templo, dum moritur in patibulo, dum regnat in Cælo, simul est Cum Maria; Cur non licebit nobis, scribere, dicere, pingere, laudare, JEsum cum Maria?

§. 7.

Specialiter colenda & invocanda est B. Virgo Maria, propter excellentissimam Gloriam in Cælo.

72. Sicut Gratiâ & Sanctitate omnes post Christum longè excessit in terris Deipara, ita & Gloriâ in Cælis, cùm illa, hujus, juxta communem Theologorum sensum, semen sit & mensura. Meritò proinde Chrysostomus in sua Liturgia, *Mariam, Incomparabiliter gloriosiorem quàm Seraphim*, affirmat. Et Ildephonsus Serm: 2. de Assumpt: ajt: *Sicut incomparabile est, quod gessit, & ineffabile donum quod percepit; ita inæstimabile atq; incomprehensibile præmium & Gloria, non dico inter cæteras Virgines Sacras, verùm etiam ultra omnes Sanctos, quod promeruit.* Et Petrus Damianus Serm: de Assump: *Pulchra ut Luna: Virgo inter Animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminens & evecta, Merita singulorum, & omnium Titulos antecedit.* Et Basilius Seleuciæ Episcopus Orat: de Annuntiatione: *Virgo universos Martyres suo splendore tantum excedit, quantum Sol reliqua Astra.*

73. Unde sic argumentor: Beatissima Virgo summam post Christum, Gloriam habet in Cælo: Igitur speciali Cultu est dignissima. Quam enim Deus adeo glorificat in Cælis, quis laudare abnuat in Terris? Beatissima Virgo præter Gloriam inter Superos, Gloriam quoq; inter Mortales consequi debebat: Quod enim Mat: 19. v. 24. dictum: *Qui reliquerit Domum &c: propter Nomen meum, centuplum accipiet,*

& Vi-

& Vitam æternam possidebit. nemini magìs congruit quàm Mariæ. Hæc siquidem toties cum Christo & propter Christum, reliquit omnia: laborum, itinerum, incommodorum, ærumnarum omnium, quæ Dominus in toto Vitæ suæ decursu pro humani generis Salute subire dignatus est, imprimis particeps. Mox ubi in Virgineis uteri sui claustris Filium Dei suscepit, nihil itineris labore retardata est, quominus relictâ Domo propria, in Montana abiret cum festinatione, ut Joannes in utero sanctificaretur. Deinde Bethleem venit, ut illic cum Joseph Sponso profiteretur: ibi in summa rerum egestate illum peperit, pannis involvit, reclinavit in præsepio, ac ubere de Cælo pleno lactavit: brevi post in circumcisione, ô quantũ Infantis Sãguini & lacrymis non cõpassa! Mox fugit cum eodẽ inÆgyptũ, quæsivit postea duodennem in Templo. Etiam docentem secuta, *Descendit Capharnaum, ibiq; mansit cum eo. Joan: 2.* Quocirca, cum Christus Dominus à Judæis, conrradictionum, calumniarum, subsannationum, ac maledictorum probrîs impetebatur, in Matrem etiam sæpe præsentem, universa suo modo redundabant. Ubi igitur centuplum illud, quod Dominus præter Vitam æternam, se daturum in hoc sæculo appromiserat? Non aliud invenio, nisi Gloriam hanc, quæ Virgini, per specialem cultum & invocationem tribuitur ab hominibus.

§. 8.

Specialiter colenda & invocanda est B. V. Maria propter specialem excessum Fidei & charitatis.

74. Fidem hujus Virginis ipsa admirata Elisabeth exclamavit: *Beata quæ credidisti. Luc: 1.* Per ejus interpositionem, Fides in Christum, primum in Cana Galilææ sumpsit initium. Ubi enim ad Preces illius, aquam in vinum convertisset Dominus, subjungit Joannes c. 2. *Manifestavit Gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus.* Hinc Cyrillus hom: 6. ad Virginem contra Nestor. *Per te omnis creatura conversa est ad cognitionem veritatis.* Occasione siquidem Miraculi ad preces Virginis facti, ipsi primum Apostoli in Christum crediderunt. Post mortem verò Salvatoris, aliîs dubitantibus & vacillantibus, priusquam Christus resurgeret, in Matre Dei Fides permansit firmissima, & Ecclesia ac Religio Christiana conservata est. Hinc Bernardus lib: de Passio: Dom: c. 7. *Passionis tempore omnes relicto eo fugerunt: sola illa, quæ benedicta est in Mulieribus, per illud triste Sabbatum, stetit in Fide solida, & salvata fuit Ecclesia in ipsa. Propter quod aptissimè Sancta Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis, diem Sabbati per totius Anni circulum celebrare consvevit.*

75. Quid inde? *Si habueritis Fidem sicut granum Sinapis, dicetis Monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Mat: 17. v. 19.* inquit Dominus. Si mortales talia possunt per Fidem instar grani Sinapis; quæ mira pro-

ra propter tantam Fidem in via, non impetrabit nobis Maria in Patria? Si Fidem Centurionis adeo laudavit Dominus Mat: 8. v. 10. Quis propterea non celebrabit Mariam?

76. Charitas quocꝫ in Virgine hac, erga Deum, ſuumcꝫ Divinum Filium erat intenſiſſima. Ut meritò de illa Ildephonſus Serm: 1. de Aſſumpt: ſcribere potuerit: *Beatam Mariam velut ignis ferrum, Spiritûs S. totam decoxit, incanduit, & ignivit: ita, ut in ea Spiritûs S. flamma videretur: nec ſentiretur niſi tantùm ignis amoris Dei.* Nec ſolùm interiùs reſidebat, ſed & exteriùs ignis hic, in tam ſtricta conjunctione cum Chriſto, in tot obſequiis eidem exhibitis, toties enituit. Toties verificabatur: *Ego Mater pulchræ dilectionis. Eccle: 24.* Toties illud Davidis: *Adhæſit Anima mea poſt te. Pſal: 66.* Hinc Epiphanius hæres: 78. *Erat Maria aſſectatrix JEſu, cùm ipſo ſemper exiſtens.* Et Auguſtinus lib: de Aſſumpt: *Abſq; dubio, omni opere Miniſtratrix exſtitit, quæ hunc in utero geſſit, partuq; profuſum aluit, & fovit, in præſepio reclinavit, & â facie Herodis in Ægyptum fugiens abſcondit, & omnem infantiam ejus, Matris affectu ita proſecuta eſt, ut uſq; ad crucem, inqua Filium jam Virum perfectum vidit pendentem, ab ejus indubitanter Miniſterio non receſſerit. Conſecuta non ſolùm greſſibûs pedum, tanquam pro amore Filii;* verùm *etiam imitatione morum, tanquam pro reverentia Dei. Maria ergo Miniſtra Chriſti, Spiritualium operum qualitatibus ſicut devotiſſima exſtitit, ita abſq; dubio, Religionis Fide & veræ credulitatis Charitate Secutrix fuit.* Vere de illa:

Quis

Quis nos separabit à Charitate Christi, tribulatio, an angustia? &c: ad Rom 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Fortis est ut mors dilectio, Cant: 8. Non extinguetur in nocte lucerna ejus, Prov: 31.

77. Et hinc facilè deducitur: Si Virgo Mater tanta Dei charitate flagrabat semper, quid non valebit impetrare ab eodem? Si proximi quoque amorem (qui præfatæ charitatis comes est indissolubilis) habet, quid oberit, quominus oret pro nobis?

§. 9.

Specialiter colenda & invocandá est B. V. Maria, quia omni Virtutum genere fuerat ornatissima.

78. *Si radix Sancta, & rami*, inquit Paulus ad Rom 11. Pariter & nos concludimus in præsenti: Si Virgo Sanctissima, tantâ Dei Gratia instructa, ac præterea ad omne quod Sanctum & bonum est, summopere propensa fuerat; quid aliud sequitur, nisi innumeras inde præstantissimasque emanâsse Virtutes. Ut proinde Eam S. Petrus Damianus, *Conventum omnium Virtutum*, meritò appellaverit. De *Fide* & Charitate dictum immediatè. *Religio* non solùm ex tot obsequiis Christo exhibitis, sed & Oblatione ejus in Templo, & descensu singulis annîs ad adorandum Deum in Jerusalem, colligitur. Quàm *Prudens* fuerit Virgo, attingimus Luc: 1. *Cogitabat qualis esset ista Salutatio.* Quàm *Devota*, Luc: 2. *Conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Quàm *Misericors* in sublevandis aliorum

rum necessitatibus, Joan: 2. In Cana Galilææ, *Vinum non habent.* Quàm *Patiens*, tot inter ærumnas & persecutiones palpamus. Quàm *Fortis* in tolerandis adversis, spectamus in Passione Filii sui. *Stabat juxta Crucem intrepida etiam dum Viri fugerent, excipiebat doloris gladium, qui Sanctissimam ejus pertransivit Animam:* Inquit Hieronymus lib: de Institu: Virg: c. 7. Unde & à Richardo à S. Laurentio lib: 3. de Laud: Virg: *Martyr Martyrum* appellatur. *Castissima* fuerat Virgo, adeo, ut, cùm sibi Angelus mentionem de Filio faceret, trepida & admirabunda diceret Luc: 1. *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco? Humillima*: ut, ubi in Matrem Dei eligeretur, reposuerit: *Ecce Ancilla Domini*: Et iterum: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Imò jam Mater Dei effecta, tribûs mensibus in Domo Zachariæ, ministrabat Elisabeth, ut miraretur ipsa exclamans: *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? Obedientissima* quocp totam se Divinæ Voluntati prorsus submiserat: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ad primum Dei nutum *Exurgens abiit in Montana cum festinatione Luc*: 2. Deinde & in Ægyptum &c:

79. S. Ignatius Martyr, Apostolorum Discipulus in Epistola ad S. Joannem Evangelistam, rationem reddens, cur vehementer appeteret videre & coram affari Sanctissimam Virginem Mariam (protunc adhuc mortales inter degentem) quam *Cæleste Prodigium & sacratissimum vocat spectaculum*, sic loquitur. *Notifica-*

vêrê,

vêre, eandem Matrem Christi, omnium gratiarum esse abundantem, & omnium Virtutum fæcundam, ut dicunt, in persecutionibus & afflictionibus est hilaris: in penuriis & indigentiis non querula: injuriantibus grata, & modesta in re læta: miseris & afflictis condolet coafflicta, & subvenire non pigrescit. Contra vitia in causa Fidei disceptans enitescit: nostræ Religionis & pænitentiæ est Magistra, & apud Fideles, omnium operum pietatis Ministra. Humilibus quidem est devota, & devotis devotiùs humiliatur, & nimirum ab omnibus magnificatur. Non frustra S. Athanasius homil: de Deipara in illud, *Gratiâ plena*, scribens, inquit: *Spiritus S. descendit in Virginem cum omnibus suis Virtutibus.*

80. Has, itaque & innumeras alias Sanctissimæ Dei Genitricis Virtutes considerans S. Laurentius Justinianus Serm: de nativ: B. V. in hæc prorumpit verba: *O Arca Testamenti verissima, quæ aurô vestita mundissimô, Virtutum gemmis ornata, Testamenti Tabulas, Virgam, & svavissimum in se Manna continuit.* Et S. Theophanes in Menæis Græcis 20. Janua: Ode 4. *Lætare quæ es Mons inumbratus à Gratia! Lætare Tabernaculum! Lætare Arca! Lætare Candelabrum Divinam sustinens Lucem!* Porro Theophanes Episcopus Nicenus, insignis Christi Martyr fuerat: & non solùm Egregius Scriptor, sed & Inclytus *Scriptitius*; sic dictus, quòd fronti ejus per Theophyli Imperatoris Tyrannidem, duodeni versus Jambici crudeliter sint inusti. Hic S. Martyr & Græcæ Ecclesiæ Doctor eximius, in omnibus Scriptis suis Virtutes B. Virginis de-

præ-

prædicat, & vel ideo devotiſſimè Eandem invocat. Exem: causâ in Cathiſmate Virginali 17. Janu: poſt Oden 3. Sic orat: *Inculpatiſſima Conditoris Sponſa, me celeriter â Dæmonum machinationibus (Interceſſione tua) erue.* Et Ode 8. *O intaminatiſſima Genitrix Dei, inflictas à peccato cicatrices emunda.*

81. Sed Concludo: Si Virgo B. tot tantisq; claruit Virtutibûs, nemo Cultum illi Specialem, niſi Probitatis Oſor, negaverit. Si omni Virtutum genere exornata fuerat, ergo & Pietate in proximum: Quomodo igitur non orabit pro nobis? Si Virtutis inſtantiam etiam Principes terreni facilè exaudiunt, Quomodo non Deus?

OBTRUDUNT ADVERSARII.

82. Et denuo illud ſuum ordinarium cantillant: Quid nobis cum Mariæ Virtutibus! ſatis eſt, quòd Invocatio ejus, nullibi expreſsè præcipiatur in Scriptura: igitur eſt prohibita O infirmum, à Patrocinio tantæ Matris deficiendi fundamentum! Equone tuo, quæſo, præceptô opus eſt, ut avenam comedat? Cur ergo tu, ad id, quòd totius Antiquitatis, totq; Experientiarum Teſtimoniô, tam utile tam ſalutare eſt Animæ tuæ, ad invocandum videlicet Mariæ Virginis Patrocinium, Mandatum exigis? Sed & Objectamenti conſequentia utroq; pede claudicat. Quid enim ineptius cogitari poteſt, quàm ſic Argumentari: *Non eſt*

præ-

præceptum Ergo est prohibitum. Numquid non ipsi Novatores multa, etiam bona opera, agere consveverunt, quæ sibi præcepta non sunt, nec tamen ideo se peccare existimant? Ubi peto, à Christo mandatur, ut Cœnam Domini ante Prandium sumatis? Quid? igitur id faciendo, actionem ponitis prohibitam? Verbô, inconsultus hic multorum Prædicantium argumentandi modus, ita suos perplexos reddit, ut quidquid elegerint, peccare censeantur. Exem: causâ, sive Cænam suam sumpserint mane, sive vesperi, graviter delinquunt: cùm nec hoc nec illud expresse in Scriptura præcipiatur: Ergo juxta suam ratiocinandi methodum, utrumque est prohibitum. Verùm ineptias has jam toties alibi confutavimus.

§. 10.

Specialiter colenda & invocanda est B.V. Maria, quia est Virgo purissima ante, in, & post Patrum.

83. Christi Matrem semper Virginem fuisse, Concilium Toletanum 6tum Can: 1. definivit: *Ex his tribus Divinis Personis, solum Filium fatemur; ad Redemptionem humani Generis, humanitatem sine peccato, de Sancta semper Virgine assumpsisse.* Veritatem hanc, & quidem *primò* de Virginitate Mariæ ante Partum & in Partu Salvatoris, manifestè Scriptura indigitat. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem: & Nomen Virginis Maria. Luc: 1. v. 26.* Et in Symbolo Apostolorum habetur: *Natus ex Maria Virgine.* Si itaque Christus natus ex Virgine, Ergo Maria etiám

in

in Partu mansit Virgo. Et hoc prævidit Isaias c. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Emmanuel.* Ubi Virgo non solùm conceptura, sed & paritura Filium prædicitur. Patetq; vel ex ipsa voce hac, *Ecce!* admirationem Prophetæ, & speciale Dei Miraculum, Matrem videlicet mansuram simul Virginem, denotante. Sicut & ex ejusdem Prophetæ verbis antecedentibus colligitur: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis Signum: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Ideoq; & Jeremias de eodem Mysterio sic disserit: *Novum faciet Dominus super terram: Mulier circumdabit Virum &c:* c, 31. Grande istud Virginitatis unà cum Maternitate Sacramentum ipsa demiratur Virgo castissima Luc: 1. inquiens: *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco.* Cui reposuit Angelus: *Spiritus S. veniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoq; quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sicut & Josephum ignorantem, Mysterium edocuit: *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est.*

84. Ex memorata Isaiæ sententia, Virginitatem Mariæ perpetuam sternuè defendit S. Hieronymus in caput 7. Isaiæ scribens. Sicut & S. Basilius Conci: in Christi Nativitate. Et S. Augustinus lib: de Hære: c. 84. aliiq; SS. Patres adversum impudentissimos illos Hæreticos Cerinthianos & Ebionæos. Pulcherrimè hac de re etiam lib: de Virg: c. 7. Augustinus: *Oportebat Caput nostrum insigni Miraculo secundùm Carnem nasci de Virgine, quo significaret Membra*

ſua de Virgine Eccleſia, ſecundùm Spiritum naſcitura. Puta juxta illud Joan: 1. *Qui non ex voluntate Carnis, nec ex voluntate Viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Et S. Ambroſius lib: de Inſtit: Virginum c. 7. in illud Ezechielis c. 44. de Porta quadam clauſa, per quam ſolus Dominus introiturus erat, ſic ratiocinatur: *Quæ eſt hæc Porta, niſi Maria? Ideo clauſa dicitur, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Chriſtus intravit in hunc Mundum, quando Virginali fuſus eſt partu, & Virginitatis Clauſtra non ſolvit. Manſit intemeratum Septum pudoris, & inviolata integritatis duravêre Signacula, cum exiret ex Virgine.* Et cap: 8. *Bona Porta Maria, quæ clauſa erat, & non aperiebatur; tranſivit per Eam Chriſtus, ſed non aperuit.* Quamobrem Jovinianus hoc nomine inter Hæreticos ponitur à Siricio & Ambroſio in Epiſtolis ſuis, quòd auſus ſit aſſerere, B. Virginem pariendo fuiſſe corruptam. *Verbô*, S. Dei Genitrix eſt Virgo inviolata, tam in Conceptione ſua & priuſquam pareret Salvatorem, quàm in ipſo Partu. Et ideo Angelus Gabriel duplex eidem Miraculum annuntiaverat: *Ecce concipies in Utero, & paries Filium. Luc: 1. v. 31.*

85. Poſt partum quoq; immaculatam ſemper manſiſſe Virginem perſpicuè ex Sacris Literis deducitur. Exem: causâ illa Ezechielis c. 22. v. 2. figurata Prædicatione: *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & Vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Per quam Portam, Virginitatem Mariæ perpetuam, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus

&c:

&c: meritò intelligunt. Exem: causâ Augustinus Serm; 14. de Natali Domini (qui est 18vus de Tempore) sic de præfata Scriptura loquitur: *Quid est Porta in Domo Domini clausa? nisi quòd Maria semper erit intacta. Quid est, Vir non transibit per eam? nisi quòd Joseph non cognoscet eam.* Et hic est communis universæ Ecclesiæ Catholicæ per tot Sæcula, omniumq; SS. Patrum sensus: adeo ut Epiphanius Hæresi 48. & Augustinus lib: de Hæres: c. 18. Errorem illum, qui asserit, Virginem Mariam, alias postea cum Joseph proles procreâsse, pro explorata Hæresi habeant. Unde etiam Hieronymus lib: contra stultissimum illum Hæreticum Helvidum, & cum Hieronymo universa exclamat Ecclesia: *Joseph, qui Miracula tanta cognoverat in B. Virgine, Dei Templum Spiritûs S. Sedem, Domini sui Matrem, audebatnè attingere?*

86. Jam ex dictis infero: Si Maria, purissima semper Virgo, cujus Virginitatem Deus tam insigni fæcunditate mirificè decoravit, quis abnuat, Eandem singulari Cultu prosequendam esse? Si Virgines in Cælo, speciali gaudent Privilegio, quòd *Agnum sequantur quocùnq; ierit.* Apoc: 14. v. 4. *Et sine Macula stent ante Thronum Dei.* v. 5. Cur ab Eodem expetere non poterunt, quæ unà cum illis flagitamus? Quid igitur de illa, quæ est Virgo Virginum, censendum? Vel ipsi Gentiles solo Naturæ lumine illustrati, Vestales suas, eò quòd castitatem colerent, eximio prosequebantur honore; nec dubitabant, per preces earum, vel maxi-

mè exorari posse Superos. Et Ecce! hodie ejusmodi reperiuntur Christiani, quid id ipsum, ob solam refragrandi Ecclesiæ Catholicæ libidinem, Admirandæ huic Virgini, quam Matrem Dei esse profitentur, negare non erubescunt!

OBTRUDUNT NONNULLI ADVERSARII.

87. Et quidem absq; verecundia, solaq; deliria. 1. Maria appellatur in Scriptura *Mulier*: Ergo non est dicenda semper Virgo. Respondeo, hunc esse apud Hæbreos receptum loquendi modum, ut nomine Mulieris, Fæminam, etiam Virginem intelligant. 2. Mat: 1. habetur: *Antequam convenirent, inventa est in Utero habens de Spiritu S.* Ergo debebant post Partum convenire. O insanam Consequentiam! Antequam Balaam malediceret Populo Dei, Angelus illi restitit in via Numerorum c.22. Quid? Ergo postea maledixit ¿Nequaquam Nec ante, nec post. Qui Conscientiæ & rectæ rationi vult insistere, potiùs sic concludat: *Antequam convenirent, inventa est Maria in Utero habens de Spiritu S.* Ergo tanto Dei Mysteriô absterritus est Joseph, ne & postea convenirent. Pariter ex illis Mat: 1. v. 25. Verbis; *Et non cognoscebat eam donec peperit*, nequaquam censendus est Joseph, postea eam cognovisse. Sic Gen: 8. de Corvo, quem Noe ex Arca emiserat, dicitur: *Egrediebatur & non revertebatur, donec siccarentur aquæ*; licèt nec postea unquam regressus sit ad Noe.

Noe. Sic psal: 113. legimus: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur Nostri*: Nec tamen per id denotatur, post factam Miserationem, oculos à Deo averos fuisse. Appellatur quidem Virgo Maria Conjux Joseph, sed unicè ob desponsationem: sicut Joseph, Pater Christi dicitur (*Ecce Pater tuus & Ego, dolentes quærebamus te. Luc: 2. v. 28.*) quòd curam ejus sibi commissam habuerit.

88. 3. Producunt illud: *Peperit Filium suum Primogenitum. Mat: 1. v. 12.* Verùm qui primîs quantumvis labris Idioma libavit Hebraicum, intelligit, etiam Unigenitum, Primogenitum hac linguâ nuncupari. Sic Numerorum c. 18. Post unum mensem à Nativitate jubebatur in Lege redimi Primogenitus, tametsi postea nulla præterea Proles subsequeretur. 4. Blaterant, ex eo, quod fiat mentio in Scriptura Fratrum Christi Domini, colligi posse, plures ex Maria Filios procreatos fuisse. Ast quis vel micam sanæ mentis habens, non advertit, Fratres Christi non naturâ sed Cognatione tales vocitari? Quinimo S. Hieronymus (circa Annum Christi 372.) in cap: 12. Matt: Scribens, etiam eos gravissimè reprehendit, qui existimabant, Josephum ante Sanctissimam Sponsam suam Mariam, aliam habuisse Uxorem, atque ex ea Filios genuisse. Sic enim citatô loco Scribit: *Quidam, Fratres Domini de alia Uxore Joseph Filios, suspicantur, sequentes deliramenta Apocryphorum, & quandam Escham mulierculam confingentes. Nos autem, sicut in Libro, quem contra Helvidium scripsimus,*

mus, continetur, Fratres Domini, non Filios Joseph, sed Consobrinos Salvatoris, Mariæ Materteræ Domini, Filios intelligimus.



DEFENSIO TERTIA
B. VIRGINIS MARIÆ
In qua Cultus & Invocatio ejus Testimoniis SS. Patrum, & continuo Ecclesiæ Christi etiam Antiquissimæ, tam Latinæ quàm Græcæ Usu, defenditur.

§. I.
DE CULTU B. V. MARIÆ.

89. Si omnia Prætiosissimæ Dei Genitricis Encomia, quibûs illa à SS. Patribus tam Græcis quàm Latinis religiosissimè culta, & longè latèq; per Orbem terrarum celebrata est, studiosè congerere vellem, ingentes conflare Tomos præsumerem. Sed brevitatis gratiâ paucissima duntaxat referam: præsertim cùm & Superiùs non pauca, huc revera spectantia, jam proposita sint Testimonia. Ut autem res ordinatiùs procedat, ad aliquot, Titulos dicenda reducam.

90. GLORIOSISSIMA VIRGO MARIA, POST DEUM ET CHRISTUM DOMINUM, SUMMOPERE COLENDA. S. Athanasius (circa An: Christi 320.) in Evang: de Deipara, sic Eam laudat: *Omnes Angelorum & terrestrium Hierarchiæ, manus extollentes, ei acclamant.* Et Novatores contumeliosîs dicteriis affici-

afficiunt! S. Basilius Orat: ad Deiparam (circa An: Christi 360.) sic Eam salutat: *Ave Dei splendidissimum & luculentissimum Vas, Ave Domina Maria Gratiâ plena.* Et Novatores Salutationes ejusmodi aspernantur! S. Augustinus (circa An: Christi 390.) Serm: seu Tractatu de Assump: Virg: Sic Eam veneratur, ut priusquam laudare inciperet, Specialem ad id, Dei Benedictionem postulaverit, dicens: *Per quam te quæso Domine, quia per illam bona cuncta tribuis, ut me inoffensè de tanta Sanctitate loqui tribuas.* Et Novatores laudibus ejus indignantur! S. Basilius Seleuciens. Orat: 39. exclamat: *Quo laudum flore debitam illi plectemus Coronam? Ex ipsa enim flos germinavit, Genusq; nostrum gloria & honore coronavit. Quæ digna satis in eam munera conferemus? Nam si de aliis S. Paulus dixit, Quibûs dignus non erat Mundus (ad Hebræ: 11. v. 38.) quid dicemus de Deipara? quæ tantò supra omnes Martyres resplenduit, quanto stellas præfulgurat Sol.* Et S. Joannes Damascenus in Menæis Græcis 27. Janu: Ode 1. de B. V *Salve ò Domina! decies millies horum vocabulis digna.* Et ibidem Ode 9. *Salve portus serene, salve dulcissimum Mare, quod Pharaonem Spiritualem in profundum demergit: amor tui suâ me violentiâ cogit, ut sonanti voce perpetuas tibi Salutationes cumulare non desinam.* Ast Novatores ægerrimè ferunt, quòd Salutationem Angelicam *Ave Maria &c:* toties ingeminemus!

91. Et S. Sabbas apud Menæa Græca 3. Janu. Ode 9. *Venite, atq; omnes mentibûs puris, intaminatisq; labiîs gloriosè laudemus illam Emmanuelis in te-*

intemeratam, & super omnes Virgines purissimam Matrem, Sacrificia Deo ex illa nato, per eandem offerentes. En Orationes nostræ Christo per Virginem Mariam sunt offerendæ. Et iterum ibidem 5. Janu: Ode; 9. *Illam, quæ est Mater supra naturam, sed Virgo secundùm naturam, illam ajo Benedictam inter Mulieres, ex debito in hymnis magnificamus, quicunq; de Fidelium numero sumus.* Doctor Sancte! igitur Fidelibus non annumerandi, qui eam colere abnuunt? O! quid censendum de iis, qui & contumeliîs proscindunt? Et S. Theophanes ibidem 9. Feb: Ode 1. *O! ab omnibus certatim laudata Virgo!* En! commune semper Christianis studium fuerat colendi Dei Matrem. Et S. Bernardus in illud; Signum magnum &c: *Amplectamur Mariæ vestigia, & devotissima supplicatione beatis illius pedibûs provolvamur.* Adversarii auem provolutiones ejusmodi Idololatriam vocitant! Et idem Serm: de aquæ ductu: *Totis medullîs cordium, totis præcordiorum affectibûs & votîs omnibus Mariam veneremur: quia sic est Voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* En! Voluntati Divinæ eò conformamur exactiùs, quò gloriosiùs B. Virginem veneramur.

92. Meritò proinde devotissimus ille Cardinalis Gofridus Serm: 8. omnes Christi Fideles ad laudandam animosè Deiparam inflammat, dicens: *Nihil in hujus Virginis laudibus hæsitemus, honorat siquidem Filium, qui laudat Matrem: sine cujus laude Deo placere impossibile est; & cum laude ejus Ei displicere nemo potest. Hanc igitur Sanctissimam & Admirabilem Virginem laudemus: quia Virginis*

ginis Filio placere sine Virginis Matris laude non possumus Diligamus eam sicut charissimam Domini Matrem, quam Ipse diligit ut propriam Carnem. En! qui Mariam honorat, Christum honorat; qui Mariam spernit, Christũ spernit. Et S. Joannes Euchaita Græcus in Menæis 30. Janu: Ode 1. Canonis primi: *Te tanquam amabile cunctorum Mortalium Decus celebramus universi hymnis cantandis, in unum veluti labium, unamq; vocem collecti.* Quasi dicat, consensum Populorum haberi pro laudibus Mariæ. Et S. Ildephonsus lib: de Virginitate c. 1. sic Virginem Matrem affatur. *Beata Fidei nostræ, beata tu Animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis & prædicationibus meis: Prædicem te donec prædicanda es; laudem te donec laudabilis; serviam, donec serviendum Gloriæ tuæ.* Sed ne longior sim, concludat jam piissimus ille Petrus Cellensis lib: 6. Epist: 23. dicens: *Mallem non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam nostram; aut eligere, non habere Animam, quàm vellem ejus extenuare Gloriam.* O utinam tam Sancti tam Docti Viri Sententiam, haud perfunctoriè expenderent Adversarii!

93 PRETIOSISSIMA DEI GENITRIX MARIA, NUNQUAM SATIS DIGNE à NOBIS COLI ET LAUDARI POTEST. Hinc S. Augustinus Serm: 18. de Sanctis: *O beata Maria! Quis tibi dignè valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, Mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvet, quæ solo tuo commerciô recuperandi aditum invenit. Accipe itaq; quascunq; exiles*

quas

quascunq; Meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Et S. Petrus Damianus Serm: 2. de Nativ: Virg: *Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit Verbum, quod manet in æternum?* Et paulò inferiùs: *Cum Beatissimæ Genitricis Dei laudes scribere volumus, nulla invenimus Verba, quibûs ad hæc dignè exprimenda sufficere valeamus.* Adversarii autem existimant, nos plus æquô laudare Mariam! Et Joannes Damascenus Orat: 1. de Assumptione Virginis sic disserit: *Hanc non hominum lingua, non Mundô sublimior Angelorum Mens, sat dignis laudibûs efferre potest, per quam Domini Gloriam perspicuè intueri nobis datum est.* Et iterum Orat: 2. de Assump: *Tametsi nemo sit mortalium, qui Sacrosanctum Dei Genitricis Discessum pro dignitate laudare potest, Tamen quoniam Deo gratum est, quod pro viribus fit, atq; ex amore & zelo, probaq; voluntate offertur, grataq; Dei Matri sunt ea, quæ Filio grata atq; accepta sunt, eam rursus laudare aggrediamur.* Et S. Josephus Confessor Græcus in menæis 15. Aug: Ode 9. *Illa creatura unica est ab omnibus nævis intacta, quam omnes hominum linguæ in unum collectæ, Angelorum item omnium Ora, prædicatione digna prosequi nequeunt.* Et ibidem S. Joannes Euchaita Ode 9. *Maximarum laudum tuarum patentissimus Campus me in angustias redigit Domina, & Orationem meam ubertate rerum dicendarum suffocat.* Et S. Germanus Serm: de nativ: B. V. *Qui per omnia laudare te nequit, assiduè te prædicans, mentis debitum persolvere conatur: cùm enim multorum debitor rependere*

dere ac paria facere non poteſt, gratiarum actionem accumulat. Adhucnè obſtrepunt Adverſarii, nos Virginem Mariam venerari nimis?

94. BEATISSIMÆ MATRIS CULTORES ET LAUDATORES SUPERNIS à DEO PRÆMIANTUR MUNERIBUS. Hoc teſtantur, tot linguæ, quotquot Viri fuêre Sancti. Exem: causâ S. Anſelmus lib: de Excellentia Virginis c. 4. *Cui datum eſt dulci ſtudio ſæpe poſſe cogitare de B. Virgine, magnum is promerendæ Salutis habet indicium.* En! Signum Prædeſtinationis eſt, B. Virgini devotum eſſe. Meritò proinde Græca canit Eccleſia 8. Aprilis. *Ille, qui ex viſceribus tuis, O Virgo Beata! carnem aſſumpſit, te ſub cruce, lacrymîs cum acerbiſſimo dolore conjunctis perfuſam aſpiciens, vim miſerationis incredibilem ſenſit. Unaq; luctui ſuo velut Solatii rorem aſpergens, clara te voce affatus eſt: Deſine lacrymari, licèt enim ſponte mea & patiar & moriar, paulò poſt tamen à mortuis reſurgam, ut glorificem omnes, quicunq; te laudibûs venerabundi celebrant.* Et rurſus in præfatis Menæis 3 Aprilis Ode 9. *Quem tu Imbrem de Cælo ut vellus excepiſti in utero, eum ita dulcem peperiſti, ut ille omnibus Ambroſiam ſeu nectar quoddam exhiberet, omnibus inquam, qui illum adorant, & te ceu Genitricem illius, omnium linguîs collaudatam magnificant.* En! quàm ſuavis eſt Dominus omnibus Matrem ſuam colentibus.

95 Pulcherrimè hac de re Celeberrimus ille Græcorum Doctor & Martyr S. Theophanes ibidem 16. Janua: Ode 3. *O omnium celebrata vocibûs Virgo! Te Sol multò ſe illuſtriorem agno-*

ſcit,

scit, utpote ex quá prodiit indutus hominem Deus, qui Cultores tuos usq; ad lumen suæ Divinitatis exaltat. Similiter & S. Josephus Græcus 6. Martii Ode 4. *Tuæ gloriæ magnitudinem celebrantes, immortalium in Altissimis præmiorum Hæreditatem obtinuerunt.* Et Richardus à S. Lauren: lib: 10. de Laud: Virg: applicans Matri Dei illud psal: 88. *Et ædificabo in generationem & generationem Sedem tuam*, scribens ajt: *Adhuc autem non cessat hæc sedes quodammodo ædificari: quia ad Honorem ejus quotidie novæ Ecclesiæ ædificantur, & nova Altaria Deo dicantur: & quæ inveteraverunt, renovantur; & ad ostendendam ejus Gloriam, à modernis de Ea, S. Scripturæ multipliciter exponuntur. Et ideo dicit illa: Qui elucidant me, Vitam æternam habebunt.*

96. Nec solùm Doctores, verùm & universus per tot Sæcula Christianus Populus, singulari semper erga B. Virginem ferebatur veneratione. Patet id, tot præter Historiarum Monumenta, etiam ex antiquissima ac Solennissima Festorum Deiparæ celebratione. Ante mille Annos & aliquot Sæcula, Festo *Annuntiationis* Orationem de B. Virgine habuit S. Athanasius. De Festo *Purificationis* Mariæ exstant Orationes Amphilochii, Gregorii Nisseni, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini &c: coram conferta multitudine habitæ. Ut videre est apud Laurentium Surium & alios. Festi *Nativitatis* B. Virginis, inter alios complures meminit S. Petrus Damianus, qui tres de hac Solennitate publica, conscripsit Sermones. Et ante eum Gregorius Officium de Natali Mariæ Virginis, pro die 8. Sept: annotaverat. De Festo

pariter

pariter *Assumptionis* ab omni Christiano Populo celebrari solito mentionem facit Gregorius in Antiphonario. Et inter Hieronymi Opera, insignis de Festo Assumptionis Sermo reperitur. Cui deest tempus aut commoditas, Antiquitatem Cultûs ac Invocationis B. V. Mariæ in Libris indagandi; hic tot saltem antiquissimas ejus Imagines, tot inscriptiones, tot Ecclesias Nomine ejus insignitas, defixò obtutu contempletur.

OBTRUDUNT ADVERSARII.

97. Verùm talia quæ nihil ponderis habent. Centuriatores hìc Magdeburgenses, prout & alii, sunt inconstantissimi. Mox fatentur, Patrum hac in parte dari consensum, sed errâsse omnes. En pervicaciam! Omnes Christianitatis per tot Sæcula Doctores (tametsi Doctrinam suam eximia Vitæ Sanctimoniâ, tot Signis de Cælo, alii etiam Sanguine suo, Christi & veritatis amore, profuso confirmaverint) cum universo Populo errârunt, Scripturam minimè intellexerunt: Lutherus duntaxat cum Calvino suisq; asseclis sapiebat! Etquidem ideo, quòd sic dicant, sic velint, stat pro ratione voluntas. Mox asserunt, talia à maligno Spiritu, Patrum Libris inserta fuisse. Sed quare? quod fundamentum? Nihil rationis habent, præterquam quòd ita se rem habere velint. Nonnulli etiam Sententias quasdam præsertim Ambrosii & Epiphanii in medium

dium producunt, quod Deus ſolus ſit adorandus. Verùm omnia non ad rem: cùm nemo dubitet, Deum ſolum cultu Divino adorandum eſſe.

§. 2.

De Invocatione B. V. Mariæ.

98. Invocationem Sanctiſſimæ Dei Matris ſemper inter Chriſtianos, etiam in primitiva Eccleſia floruiſſe; atq; pro medio omnino ſalutari habitam; necnon innumerîs experientiis ac Beneficiîs comprobatam fuiſſe, unanimi conſenſu SS. Pates atteſtantur. Exem: causâ S. Irenæus (Annô Chriſti 179.) lib: 5. contra hæreſes, ultra medium, ſic ſcribit: *Sicut illa* (Eva) *ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ita hæc* (Maria) *ſvaſa eſt obedire Deo, ut Virginis Evæ, Virgo Maria fieret Advocata* Quid clariùs? Novatores tamen agnoſcere eam, Advocatam & Patronam apud Deum obſtinatè reluctantur! S. Athanaſius (circa An: Chriſti 320.) Serm: in Evang: de Deipara, ſic alloquitur Virginem: *Inclina aurem tuam* (Maria), *in preces noſtras, & ne obliviſcaris populi tui.* Et infra: *Ad te clamamus, recordare noſtri Sanctiſſima Virgo.* Et iterum: *Intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.* Quid clariùs? Attamen Novatores Patrocinium ejuſmodi aſpernantur! S. Auguſtinus (circa An: Chriſti 390.) Serm: de Aſſumpt: Virg: ſic orat: *S. Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove debiles, ora pro Populo &c:* Quid clariùs? Et Novatores, ſimiles Catholicorum preces Idololatriam vocîtant!

99. Adverte etiam hìc Lector benevole, quàm turpiter Martinus Cemnitius, unus de præcipuis Novatorum Scriptoribus erraverit, qui in suo Examine Concilii Trid: Ses: 25. ausus est exarare, Authorem Invocationis B. Mariæ fuisse Petrum Gnaphæum, qui vixit circa Annum Domini 480. Et Invocationem Sanctorum, primum post Augustini tempora sumpsisse initium. Imo nec consequenter incedunt mendacia. Ordinariè enim obstrepunt, Consvetudinem colendi & invocandi Sanctos, fuisse quid è Paganismo, adeoq; à primis Christianis retentum; alibi autem volunt, eam post Annum 480. primùm cæpisse. Verbô, non constat sibi Falsitas.

100. Sed aliquot adhuc Veritatis Catholicæ Testimonia expendamus. Synodus 7. Generalis act: 6 docet: *Cum timore omnia agamus, postulantes Intercessionem incontaminatæ Deiparæ, item SS. Angelorum, omniumq; Sanctorum.* Et Gregorius Nazianzenus Orat: in Cyprianum, testatur de quadam Virgine ope Sanctissimæ Mariæ à Dæmone liberata, dicens: *Virginem Mariam rogavit, ut periclitanti opem ferret &c:* Et S. Fulgentius Serm: de laudibus B. V. *Ideo cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro JESU Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus subveniret.* Et S. Anselmus lib: de Excellentia B. V. cap: ultimo: *Rogamus te Domina, per ipsam Gratiam, qua te Pius & Omnipotens Deus sic exaltavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id ipsum nobis impetres & obtineas, ut plenitudo Gratiæ, quam*

merui-

meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati Præmii nobis misericorditer quandoq; donetur. Et S. Sophronius Patriarcha Constantinopolitanus in Menæis Græcis 8. Janu: Ode 1. *Os ego aperiens, intemerata ô Domina! tuas moderari laudes promiseram, quia genuisti Sapientiam, à se ipsa subsistentem. Verùm quoniam te, ut par foret, nequeo prædicare, inde perficiendo conatui, in eo Auxilium tuum imploro.* Et rursus Ode 3. *Me tuum in hymnis laudatorem, qui indignas veniâ culpas admisi, dirige ad ambulandam pænitentiæ viam: O quæ peperisti Verbum quod tollit peccata Mundi!* Et S. Basilius Seleuciens: Orat: 39. *Cum multa bona, quæ nostra Oratio non possit assequi, Deiparæ operâ nobis contingant, eam benè merenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur.*

101. Et S. Bernardus Serm: 2. super Missus est: *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à Corde: & ut impetres ejus Orationis suffragium, non deseras conversationis Exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis &c:* Et S. Theophanes Martyr in Menæis Græcis 9. Feb: post Oden: 9. *Laudem cum Gratiarum actione conjuncta, velut duo Viduæ illius minuta, offero tibi O Domina! pro omnibus Beneficiis mihi collatis. Tu enim es cognitissima mihi Tutela atq; Subsidium, cujus Intercessione omnes semper insultus atq; ærumnas evasi.* Et S. Josephus Confessor ibidem 3. Janu: in Matutinis Ode 3. *O Deipara! quæ existis fons vivus atq; prædives illis*

qui decantandîs tibi Laudibus insudant, confirma quam de te habent existimationem, ac tandem gloriosis in Cælo Coronîs dignare. Et iterum 3. Janu, *Idoneas Canticis Tubas inflemus: quippe de Cælo prospiciens universorum Regina, suarum laudum Declamatores benedictionibus coronat.*

102. In Liturgia, quæ dicitur esse S. Jacobi Apostoli, antiquissima, hæc habentur: *Commemorationem agamus Sanctissimæ immaculatæ, Gloriosissimæ, benedictæ, Dominæ nostræ, Matris Dei & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & Justorum, ut precibûs atq; Intercessionibus eorum, omnes Misericordiam consequamur.* In Liturgia S. Basilii Cæsariensis: *Sanctissimæ & intemeratæ Dominatricis nostræ, Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis, memorantes, nos ipsos & adinvicem, atq; omnem Vitam nostram Christo Deo commendemus.* In Liturgia S. Chrysostomi: *Precibûs Sanctissimæ Deiparæ Virginis, Servator serva nos.* Et: *Sanctissimæ, intemeratæ, & super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ, Deiparæ & semper Virginis Mariæ memoriam agamus &c.* In Missa, qua utuntur Æthiopes, estq; perantiqua, & habetur Tom: 6. Biblioth: SS. PP. cujus Author fuisse dicitur Sanctus Matthæus Apostolus, sic habetur: *Lætare immaculata verè Regina! Lætare gloria nostrorum Parentum! quia peperisti nobis Emmanuelem: O verè Mediatrix ante Dominum nostrum JEsum Christum! Te supplices exoramus, ut memor sis nostrî, ora pro nobis, ut deleantur iniquitates nostræ.*

103. Isti autem (aliiq; innumeri) Viri e-

rant Sanctitate Vitæ & Prodigiis conspicui, simulq; doctissimi pariter ac Zelosissimi Christi Salvatoris Prædicatores, qui cum tanta Emphasi, & quidem communi Christianitatis per tot Sæcula Sensui insistendo, de Cultu & Invocatione B. Virginis sunt locuti. Abundè tantis Viris Disparitas inter Christi Mediationem ac interpellationem pro nobis, & Intercessionem Virginis Mariæ, aliorumq; Sanctorum, perspecta erat. Sciebant plus quàm satis, Interpositionem Salvatoris in tali Oratione consistere, quæ Redemptionem à morte æterna, Satisfactionem condignam pro peccatis nostris, & meritum Gratiæ ac Gloriæ, nec non Divinam, hæc dandi potentiam, adjunctam habeat. Quod Christo duntaxat, & nullatenus B. Virgini tribuitur: cum ejus Intercessio, sola sit pro nobis apud eundem Dominum nostrum JEsum Christum Supplicatio.

104. Numquid Christus ipse, immensam inter Se, suosq; Discipulos Differentiam non agnoverat? Et nihilominus sicut se Joan: 8. v. 14. *Lucem Mundi* appellavit: verùm Significatione toto Cælô diversa. Pariter & Nos Matrem Christi, Mediatricem, Auxilium, Tutelam, Advocatam &c: nuncupamus; sed non eo sensu (avertant Superi!) quo ipsimet Salvatori similia in sacro Codice tribuuntur Vocabula. Optimè notum erat memoratis Ecclesiæ Doctoribus, Virginem Mariam non esse omniſciam aut Omnipotentem, nec posse Naturæ viribûs omnium necessitates cognoscere

ſcere aut ſublevare: ac proinde Notitiam precum & indigentiarum noſtrarum, tribuebant Eidem, non aliter, niſi per Deum elevantem & revelantem; Potentiam verò in Oratione & Interpoſitione conſtituebant.

OBTRUDUNT ADVERSARII.

105. *imò*, Merum effugium, commentando, Patres per figuram Proſopopeiæ locuto fuiſſe: Sicut etiam Cælum & terram ac Mortuos, loquentes inducere conſvevimus. Verùm Commentum hoc prorſus eſt ridiculum. Sic etenim Invocatio B. Virginis promovetur à Patribus, ut Ejuſdem quoq; Auxilium promittatur. Deinde non inter declamandum præcisè, ſed & docendum, Invocatio hæc, & quidem tam ſtudiosè, tam nervosè perſvadetur & inculcatur.

106. *2dò*, Male ſanum adversùs Antiphonam illam, *Salve Regina &c.* Odium: Inter omnes ſiquidem Orationes, quas ad Virginem Mariam, & per eam ad Divinum Filium ſuum dirigimus, nulla magis quàm præfata Antiphona diſplicet Novatoribus. Sed quàm iniquè, vel ex ipſa ratione, quam è Lutheri Scriptis depromunt, colligitur. Porro hæc eſt: Quoniam ibidem Denominationes ejuſmodi Mariæ applicantur, quæ Deo in Sacris Literis tribuuntur. Reſpondeo, quid tum? modò vocabula de Deo dicta, longè quid excellentius ſignificent. Nonne Chriſtus in Scriptura di-

citur Magister, Pater, Episcopus, Pastor &c: tametsi hæc etiam Apostolis, imo & aliis passim tribuantur? Utiq; Christus Joan: 1. dicitur *plenus Gratiâ*; & Luc: 1. Maria quoq; ab Angelo, *Gratiâ plena* enuntiatur: Ast Sensu omnino diverso. Pariter de omnibus aliis vocibus B. Virgini dari solitis sentiendum. Verbô, manifestæ ineptiæ sunt, quidquid Adversarii contra Cultum & Invocationem Inclytæ Dei Matris conglomerant. Ut autem Pertinacia erubescat magis, singula memoratæ Orationis verba, Virgini Beatissimæ apposite convenire demonstrabo.

§. 3.

SALVE REGINA &c:

Contra Obtrectatores peculiariter defenditur.

107. I. Rectè dicimus, *Salve Regina*. Hæc etenim vocula, *Salve*, æquivalet illi Angelicæ Luc: 1. *Ave. Regina* quoq; Virgo Maria meritò appellatur. Si enim est vera Regis Regum Mater, Titulum hunc meretur specialiter. Pervicaciam confundat Antiquitatis Sensus. *Sufficere debet notitiæ humanæ* (inquit Augustinus Serm: 35. de Sanctis.) *hanc verè dici Reginam Cælorum, pro eo, quòd Regem peperit Angelorum.* Basilius & Chrysostomus crebriùs eam, *Dominam nostram* vocant. Hieronymus quoq; in Mathæum, sicut & Epiphanius de Laud: Virg: & alli communiter docent, Mariæ Etymon ex Syro Sermone, *Dominam* esse: item *Maris stellam* &c:

Ephrem

Ephrem Orat: de B. V. *Reginam omnium, Dominam, Principem, Reginam præstantissimam, & perquam benedictam Dominarum Dominam purissimam appellat.* Et Rupertus lib: 3. in Cant: 4. exclamat: *Veni, coronaberis: ita coronaberis, ut in Cælo Regina Sanctorum, & interris Regina sis Regnorum.* Communiter Beati in Cælo, Reges nuncupantur, juxta illud: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Mat: 5. &c:* Et Adversarii Beatorum Beatissimam Reginam esse pernegant! Sed & quis duro Cordi non indignabitur? Dissidentium Ministri, doctrinæ sui Lutheri insistentes, & illud S. Petri, *Vos Regale Sacerdotium*, perversè interpretantes, palam docent, cunctos Baptizatos, veros Præsbyteros & Reges Spirituales esse; Matrem autem Christi, Reginam compellare dedignantur! Nonne, oppugnare Honorem Virginis esse insanire, benè dicimus?

108. 2. *Mater Misericordiæ* nominatur: tum quòd sit Mater Christi, per quem Misericordiam à Deo consecuti sumus; tum quòd locutio hæc juxta phrasim Hebraicam, idem significet ac Mater misericors: misericordiam siquidem à Deo nobis impetrat. 3. *Vita* appellatur: non per essentiam, sicut Deus, sed quia Christum peperit per quem spiritualiter vivimus. Et si Eva, prima Mater, ex Hebræo vita dicitur, eò quòd sit Mater viventium; potiori id jure Matri Salvatoris nostri utiq; tribuendum. 4. *Dulcedo*, propter innumera Beneficia per Intercessionem suam nobis

præstita.

præstita. 5. Dicitur, *Spes nostra salve*: non quasi in ea Spem nostram principaliter & tanquam in Fine ultimo collocemus; hoc enim soli Deo competit: (& ideo Hieremiæ 17. habetur: *Maledictus Vir qui sperat in homine, & à Deo recedit Cor ejus.*) Sed quòd speremus, per interpositionem hujus Deo gratissimæ Virginis, multa nos à Deo & Christo impetraturos.

109. *6. Ad te clamamus exules filii Evæ ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle.* Id est: tuam apud Salvatorem, intercessionem imploramus. Si enim Apostolis sano sensu tribui potest, quòd salvent homines, videlicet per Prædicationem (juxta illud ad Rom: 9. *Omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem salvos.*) Igitur & Matri Dei: nimirum per Orationem ac Interpositionem. Et ideo (7.) additur: *Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & JEsum Benedictum Fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende: O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.* Quis hic non videt, omnia principalissimè ad Christum JEsum referri? Quis non videt, quàm levibus nitantur fundamentis homines illi, qui B. Virgini & Ecclesiæ improperare non verentur?

110. Sed impudentiam nuper natam Antiquus Ecclesiæ Doctor S. Ephræm (utinam salutariter!) confundat, qui circa Annum Christi 370. florens, tantæ fuerat claritudinis in Christianitate, ipso Hieronymo teste, ut Scripta ejus post Divinas Literas, publicè in Ecclesiis legerentur. Hic Oratione de Laudibus

bus Mariæ, quæ exſtat in Tomo 8. Aloyſii Lipomani, ſic loquitur: *Intemerata, prorſusq; pura Virgo Deipara! Regina omnium, Spes deſperantium Tu prorſus procellis vexatorum, ſolatium Mundi, carcere clauſorum Liberatrix, Tu orphanorum Suſceptio, tu captivorum Redemptio, tu ægrotantium Exultatio, & omnium Salus; ſub alis tuis cuſtodi me, & protege, miſerere mei, qui ſum lutô inquinatus &c:* Et infra: *Ave Pax, Gaudium, & Salus Mundi.* En, quanta antiquitus de B. Dei Genitrice ſano ſenſu dicebantur! Et Senſum hunc ipſimet facile aſſequerentur Diſſidentes, niſi pertinaciter, eſſe vellent Novatores.

DEFENSIO QUARTA B. VIRGINIS MARIÆ,

In qua Cultus & Invocatio ejus, Praxi, Zelo, & Devotione Piiſſimorum Imperatorum, Regum, Principum, Exercituum, ac Civitatum, confirmatur.

III. Exſtant Imagines B. Mariæ Virginis, quas S. Lucas pinxerat, manifeſtum ac perpetuum Cultûs & Invocationis hujus Glorioſiſſimæ Matris, à temporibus Apoſtolorum ad noſtra usq; Florentis Documentum. Quarum una Conſtantinopoli olim ab Imperatoribus; deinde in Polonia Czæſtochoviæ in Claro Monte, à Regibus & Regni Proceribus, propter innumera ibidem patrari ſolita Miracula, ad præ-

ad præſentem Diem, cum inſigni Inclytæ Virginis honore, in veneratione habetur. Harum Imaginum Theodorus Lector (qui ante mille, centum, & ampliùs Annos vixerat) lib: 1. Collectaneorum meminit, Sicut & Nicephorus lib: 14. Hiſt: c. 2. Et Simeon Metaphraſtes in vita S. Lucæ. Res mira! Tametſi Adverſarii his aliisq; antiquiſſimis Hiſtoricis, in Rebus politicis, & quæ ſunt hujus Mundi, perlibenter aſſentiri conſveverint (aliàs enim nullâ prorſus Antiquitatis notitiâ pollerent) illa tamen quæ Religionem ac Pietatem ſapiunt, pro fabulis reputant. Quare? Nihil aliud, exiſtimo, niſi Spiritualium rerum Contemptum, nec non ſentiendi, atq; negandi, quidquid Eccleſia Catholica affirmat, Libidinem in cauſa eſſe.

112. Anno Chriſti 330. Conſtantinus M. Imperator, Urbem Conſtantinopolitanam cùm Bizantii fundâſſet, Epiſcopos qui ad Nicænam Synodum convenerant, advocavit, ut ſuis precibûs nova ædificia confirmarent, & Civitatem hanc Sanctiſſimæ Dei Genitrici dedicarent. Sicut teſtatur Zonaras lib: 3. Annal: Et Nicephorus lib: 8. Hiſtor: Eccleſi: c. 26. Antehac verò circa An: Chriſti 300. ubi Fides Chriſtiana, M. Conſtantini Patrociniô liberiùs ſe explicuiſſet, S. Helena Auguſta Paleſtinam peragrans, & ex monte Thabor, Orientem versûs deſcendens, pervenit Nazareth, ubi inventa Salutationis Angelicæ Domo, Dei Genitrici peramænum excitavit Templum. Nicephorus lib: 8. c. 30.

113. Annô Christi 431. profligato per Decretum Concilii Ephesini, Impio illo Christi ejusq; Matris Hoste (Mariam siquidem negabat esse Deiparam) Nestoriô, Pulcheria Augusta insignem Ecclesiam sub Nomine Sanctissimæ Dei Genitricis, in perpetuam reportatæ ex Hostibus ejus Victoriæ memoriam, extruxit Constantinopoli. Et Deiparæ Imaginem, Hierosolymîs ab Eudocia submissam ibidem collocavit. Nicephorus lib: 14. c. 2. Quam postea Ecclesiam mole sua labantem Justinianus Imperator restauravit.

114. Porro pietas hæc, exstruendi videlicet Deo Templa sub Nomine & in honorem Deiparæ, sicut est Antiquissima, cumq; ipsa Christiana Religione nata, ita & universalis per tot Sæcula, piissimisq; Principibûs communis semper fuerat. Ut proinde S. Antoninus part: 4. tit: 15. c. 24. meritò scripserit: *Generatio Electorum Ecclesiæ, Beatissimam dicit Virginem, ex multitudine Ecclesiarum dedicatarum sub Titulo ejus per totum Orbem. Quæ Civitas? quod Castrum? quæ villa est? quæ non habeat Ecclesiam, & solenniorem, in ejus Nomine fabricatam.* Cæsaraugustæ in Hispania, à S. Jacobo Apostolo Templum Deiparæ est positum. Cujus rei Historiam narrat Petrus Antonius Berterus in Chron: Hispa. c. 23. Quod à multis Sæculis, infinitîs propè claret Miraculîs. Ut complures testantur gravissimi Historici.

115. In Æthiopia a Francisco Alvarez (qui hæc literis mandavit, quemq; Thomas Bozius

lib:

lib: 9. c. 9. de Signis Ecclesiæ, vocat Scriptorem Fidei integerrimæ) visum est Templum, à Candace Æthiopum Regina in Auxumo, magnificentissimè in honorem B. Virginis Mariæ exstructum, & Miraculis olim nobilitatum. Quamvis autem omnes Æthiopum Reginæ, teste Strabone, Candaces nominarentur, asserunt tamen Æthiopes, Reginam, quæ Templum istud posuit, illam fuisse, cujus Eunuchus Baptismô lustratus est à Philippo Apostolo. Act: 8.

116. In India quocp Orientali Vetustissimæ cernuntur Ecclesiæ B. Virginis quarum una Cranganore, ab uno è tribus Magis, qui Stella duce ad Christum infantem adorandum venerant: instar illius, altera Calecutii, in honorem Deiparæ non longè post, est excitata. Quod certissimis Testimoniis compertum habetur. Narrat enim Hieronymus Osorius Algabriensis Episcopus, nobilis Historicus lib: 1. de rebus gestis Emmanuelis Regis Lusitaniæ, Vascum Gamam Lusitanicæ Classis Præfectum, An: 1498. mense Majo appulisse Calecutium, celebrem Indiæ Urbem: cumcp ad Regem visendum, in terram descendisset; in memoratum B. Virginis Templum antiquissimum, (ubi in magna veneratione habebatur Deiparæ Imago cum puero JEsu in ulnis) introductum fuisse.

117. Successu verò Temporis Devotio hæc in immensum pene excrevit. In una Urbe Roma, reliquarum facilè Principe, restinctis Ty-

ranno-

rannorum in Christianos persecutionibûs, quadringentas Ecclesias sub Nomine Deiparæ constructas fuisse, Andreas Fulvius lib: de Antiquitatibus Urbis, memorat. In Hispania Jacobus Rex, ejus nominis primus, cognomentô Expugnator, tribûs Nobilissimis Regnis è Seracenorum manibus, ereptîs, in Aragoniæ Regno, ad duo millia Templorum ædificancanda & Deiparæ Nomine insignienda curavit. Teste Hieronymo Blanca in Commentario rerum Aragon: ad Annum 1235.

118. Circa An: Christi 446. sub Theodosio Juniore, Cyrus, adhuc Ethnicus, Præfecturam Urbis Constantinopolitanæ gessit: qui postea Christianîs Sacris initiatus in Smyrneorum Episcopum est promotus, erexit Ecclesiam in honorem Deiparæ, quæ *Cyri Templum* dicta, innumeris claruit Miraculîs. Nicephorus lib: 4. Hist: c. 46.

119. Leo Senior Imperator Augustus (qui An: Christi 474. vivere desiit) dùas Ecclesias in honorem B. Virginis, unam *ad Fontem* nuncupatam, alteram in ordine ad Vestem Deiparæ Hierosolymis allatam, reverenter servandam, erexerat. Ut idem testatur Antiquus Scriptor Nicephorus lib: 15. c. 24. Et Metaphrastes 15. Augusti. Imperator hic gloriosissimus etiam Orationem de Dormitione Mariæ concinnavit, inqua Exem: causâ sic loquitur: *Quæ linguæ facultas, quod Orationis flumen, ad hoc Argumentum aliqua saltem ex parte dignè tractandum Sufficiet? Quod laudatissima illa, & donîs omnibûs cumulatissima*

mulatissima Hominum Angelorumq; Domina exhibet. Attendite! auscultate! Quid Potentissimi totius Orientis & Occidentis, pariterq; Piissimi Imperatores, cum universo Christiano populo, in antiquissima Ecclesia, de Virgine Maria Senserint!. Eidem Imperatori, cum adhuc privatus degeret, à Deipara, voce cælitus edita, Imperialis Dignitas prænuntiata est, adjecto monitô, ut ædem sibi sacram, in qua omnibus precantibûs, Locumq; illum cum ardore & Fide adeuntibus, desiderata omnia præstaret. Quod & fecit. Ut scribit Zonaras in sua Historia. Et Nicephorus lib: 15. c. 25.

120. Justinianus Imperator & Mauritius ejus Successor, Eximii, Cultus & Invocationis Deiparæ fuerant Promotores. Etiam Festa Purificationis & Assumptionis Virginis Mariæ, (quæ ultra 200. Annos ante Hieronymi & Chrysostomi tempora, instituta legimus) Jure Civili confirmârunt, severè mandantes, ut ab omnibus & Singulis celebrarentur. Testatur id Paulus Diaconus lib: 16. Rerum Romanarum. Et Nicephorius lib: 17. c. 28.

121. In Græcorum Annalibus, à Theophane Græcè editis, & deinde ab Anastasio in Latinum translatis, exaratum, habetur, (ut superiùs innuimus) quomodo Constantinopolis, Urbs illa celeberrima, ab ipsius Constantini Magni, primi Imperatoris Christiani temporibus, Venerationi & Patrocinio B. Virginis Mariæ dedita & dicata fuerit: adeo, ut communiter Civitas Virginis diceretur. Cujus

jus proinde Maternam quoq; Protectionem, & quidem per manifesta Prodigia, Urbs hæc, priusquam à Romana Ecclesia per apertum Schisma defecisset, toties experta est.

123. Anno Christi 553. Narses Justiniani Imperatoris Dux Militiæ inclytus, qui Gothos ferocissimos, diuturnis Victoriis insolentes penitus profligavit, & Italiam à periculo Arianismi in Libertatem asseruit, Deiparæ Virginis adeo studiosus fuit, ut ejus intercessione ac peculiari Directione in Præliis instructus, grandes de hostibus Victorias retulerit. Vide Nicephorum & alios. An: Christi 544. gravissima lues pestifera, & quidem ab ipsis Averni Incolis, visibili hominibus Specie apparentibus excitata, grassabatur Constantinopoli: Quæ exinde per universum fere Orbem diffusa est. Nulla medela nullum humanum opitulari valebat Remedium. Tum Principes cum universo Populo, Devotionem publicam ad Virginem Matrem, qua interpositionem ejus apud Divinum Filium suum exorarent, instituerunt. Res mira! Supplicatione peracta, malum adeo manifestè detumuit, moxq; evanuit, ut propterea in honorem hujus clementissimæ Matris, Festum Gratiarum actorium, perpetuis temporibûs 2. Febru: celebrandum, Græci decreverint. Ut referunt eorum Tabulæ.

124. An: Christi 625. Belli verò Persici 5tò, Sain Dux Persarum, collecto ingenti Exercitu, Constantinopolim obsidione cinxe-

rat,

rat. Quamobrem Heraclitus Imperator, se, resistendo tantæ Potentiæ parem non esse animadvertens, una cum Suis ad B. Virginis Patrocinium confugit: Et successu perquàm prospero. Hac etenim Supplicatione publica effectum, ut Grando miræ magnitudinis, in Persarum Castra, cum vehementi procella depluens, Hostesq; prosternens, Civitatem à diuturna obsidione liberaverit. Vide memoratas Græcorum Tabulas.

125. An Christi 717. Eadem Urbs precibûs B. Virginis ab Obsidione Saracenorum vindicata, postquam Imperator unà cum præcipuis Proceribus, Deiparæ Imaginem per Mænia Civitatis solenni Processione circumtulissent. Memorant hæc Theophanes celebris Græcorum Scriptor, & Gregorius Epistolâ ad S. Germanum protunc Constantinopolitanum Patriarcham.

126. An: Christi 718. Pelagius Asturum Rex in Hispania, cum in prægrandi quadam Spelunca unà cum suis latens, præter spem, à Saracenorum 80. millium Exercitu circumventus, arctissimè cingeretur, ad Virginis Mariæ Patrocinium confugit. Vix Devotionem finiverat, bene animatus de Antro suo prorumpens, & aperto Marte dimicans, exigua Manu, 20. Saracenorum millia unà cum Duce suo prostravit, Oppam Civitatem cæpit, reliquis omnibûs per in undationem aquarum, inter Montium prærupta funditus deletîs. Totum id post Deum, precibus B. Virginis communi omni-

ni omnium consensu attributum; adeo, ut Memoriæ & Venerationi ejus Locus & Ecclesia, quæ ad hunc usque diem, *Maria de Couadouga* nuncupatur, devota sit. Tudens. in Chroni. & Rodericus lib. 4. c. 2.

127. An: Christi 886. Andreas Dux Exercituum Piissimi Imperatoris Basilii, Copias suas adversùm Saracenos eduxerat. Verùm hi numero & robori suo confisi, fastuosissimas, multisque contumeliîs in Christum & Matrem ejus refertas Literas, quibûs blasphemabant, nec JEsu Vires, nec Mariæ preces fore prævalituras, reposuêre. Excanduit ad hæc, justô Zelo concitus Dux Christianissimus, & probrosam Epistolam Imagini B. Virginis Salvatorem manibûs gerentis, appendens exclamat: *Vide O Maria Dei! Tuque ipsius Fili & Deus, qualia nobis Barbarus iste arrogans exprobravit!* Mox arripere Suos Arma jubet, Castra Saracenorum invadit vincit, & Superbum Hostem ingenti victoriâ conterit. Testatur Curopalates, aliique Historici Græci.

128. An: Christi 971. Devotissimus B. Virgini, Græcorum Imperator Joannes Zemisca, Patrocinio Deiparæ, commendatô solenniter Exercitu Suo, rebelles Bulgaros feliciter edomuit. Quo facto, Victor rediens Constantinopolim, & Eques incedens, Imaginem Virginis Mariæ in Curru triumphali deportari jussit. Multas deinde Ecclesias in honorem ejus erexit, & Magnificentissimè exornavit. Similem cum Deiparæ Imagine Triumphum, Jo-

annes

annes Comnenus ob alios Barbaros debellatos, Annô 1123. celebraverat. Ut refert Curopalates.

129. De eodem Zemisca Imperatore, eximio Cultûs ac Invocationis B. Virginis Amplificatore testatur Cedrenus in Compendio Histor: quòd, cùm contra Scythas Bellum gereret, in ipso conflictu viderit quendam Cælestis formæ Virum Equo albo insidentem, & Scytharum Copias interturbantem, adeo ut confusi inter se hostes, in fugam sese præcipitare coacti sint. Qua ipsâ horâ Piæ cuidam Virgini Sanctimoniali, Constantinopoli existenti, Deipara per visum apparuit, mandans S. Theodoro olim Duci & Martyri: *Vade, & Joannem Devotum meum Imperatorem, quantocius defende.*

150. An Christi 1080. Ramirez Navarræ Rex, eò quòd in loco quodam B. Virginis Imago corruscans primùm posthac verò multis Prodigiîs clarens, toto spectante Exercitu, inventa sit, ad perpetuam tanti Beneficii memoriam, Civitatem *Stellam* appellatam extruxerat. Res hæc è tot Scriptoribus toti Mundo patet.

131. Vel ipse Constantinus Copronymus Græcorum Imperator, Malitiosissimus Cultûs Mariani Persecutor, An: Christi 771. percussus Dei vindicis manu, & moriens errorem suum revocavit, præcepitq; ut exinde Maria tanquam Virgo Sancta, Dei Mater, & speciali Honore ac invocatione digna, ab omnibus coleretur.

132.

132. Edbaldus tertii Anglorum Regum, & primi Christicolæ æthelberti Filius, Rex factus, Ecclesiam sub Nomine Deiparæ in Anglia exstrui curavit. Ejus verò Nepotis Lotharii pariter Regis Angliæ Uxor S. Sexburga, in Insula scapeia, Monasterium Sanctimonialium B. Virginis, quæ Cultum ejus promoverent, erexit, & tandem Seipsam iisdem aggregavit.

133. S. Henricus Imperator (qui obiit An: Christi 1024. & cujus memoria in Martyrologio Romano die 14. Junii recolitur) cum S. Cunegunda Conjuge sua, adeo fuit studiosus in colenda B. Virgine, ut teste Nauclero, Generatione 34. quoties ingrediebatur Romam, primam noctem in Basilica S. Mariæ Majoris semper excubare soleret.

134. Ludovicus Pius Caroli Magni Filius, multas Ecclesias in Virginis honorem erexit: eidemq; sic addictus fuit, ut, ne venatum quidem profisceretur, nisi Sacram Deiparæ Imaginem secum ferret, suasq; coram illa in media solitudine preces funderet. Crantius in Metrop: lib: 1. c. 10.

135. Circa Annum Christi 1170. Henricus 2dus Anglorum Rex singulîs Sabbatîs ab hora nona in proximam feriam secundam, singulis item Deiparæ pervigiliîs, Iustitium Anglis imperavit, teste Rogerio in Annal: Anglorum.

136. Isaacius Angelus Imperator Constantinopolitanus Annô 1187. cùm à Brana Tyranno exagitaretur, Dei Genitricis Imaginem ex

Hodegio Monasterio in Mænia Urbis, ubi hostis timebatur, transtulit, & cunctis Supplicantibûs, Aggressores vicit. Nicætas in Annal.

137. Illustris fuit victoria ab Alphonso 8. Castellæ Rege die 16. Julii An: 1212. in Bætica de Mauris, Christi virtute & Virginis intercessione parta. Ad Crucis enim ac Deiparæ Imaginis puerum JEsum gestantis, in Vexillo Regio depictæ, conspectum, immediatè fugati sunt Barbari, ut ipsemet Alfonsus literîs ad Innocentium tertium Pontificem datis, sanctè testatus est.

138. Henricus septimus Imperator, non minùs Religione quàm Armîs præclarissimus, noctes coram Crucifixi imagine jejunus peccata deflebat, eosq; in Pietate progressus fecerat, ut quotidie communicaret. Is Festo Assumptionis B. Virginis die, omnibus negotiîs liber:, cælestium contemplatione vacabat: quo etiam die postea Annô 1313. piissimè mortuus est. In Annal.

139. Henricus Joannis Lusitaniæ Regis, eo nomine primi Filius, non solùm bellica virtute, verùm etiam vitæ Sanctimoniâ illustris, observantiâ in Dei Genitricem fuit singulari. Ut testatur Maffæus lib: 1. Hist: Indicæ. Et Osarius lib: 1. de rebus gestis Emmanuelis. Is nova Orientis Maria, & ignotas ac longinquas terras explorandi cupiditate, & Cælesti etiam monitô per quietem sibi factô incitatus, Annô 1410. Opus aggressus est, & in ignotis antea Oris complura sub Deiparæ Nomine Templa studiosè construxit.

140. Fridericus tertius Imperator pridie Assumptionis B. Virginis, cibô & vinô abstinebat &c: In Annal.

141. Ludovicus secundus Rex Galliæ Deiparam non vulgari devotione prosequebatur: nam meridiano tempore per universum Regnum, campanam, ad Salutandam Virginem Mariam, pulsari imperavit: Bononiensem Comitatum cum oppidis eidem consecravit. Cumqꝫ graviter infirmaretur, dixit, se nonnisi die Sabbati Virgini sacro moriturum: quòd & factum 3. Augus: Annô 1483. Gvagninus lib: 3. de rebus Francorum.

142. Annô 3tio Henrici Imperatoris, Ottonis 3tii Successoris, S. Aufridus ex insigni Comite & Heroe fortissimo, urgente Populo factus est Episcopus Utrajectensis. Diu honorem Ecclesiasticum recusaverat, sed tandem multorum precibûs victus, palam in Altari B. Virginis Mariæ gladium deposuit, exclamans: *Accepto Onus quod imponitur, ideo ut Cultum hujus Dominæ meæ promovere valeam efficaciùs.*

143. S. Casimirus Casimiri 3tii Poloniæ Regis Filius, tanta in Sanctissimam Dei Genitricem ferebatur pietate, ut Salutationem ejus Angelicam ore & corde assiduè volveret; in ejusqꝫ Laudem, Canticum elegantissimum, quod incipit: *Omni die dic Mariæ, mea Laudes Anima &c* concinnaverit.

144. Omnes præcipuæ Victoriæ, quas Christiani de Barbaris retulêre in Hungaria, precibus & interpositioni Virginis Mariæ apud

Divinum Filium ſuum, tribuuntur. Circa An. Chriſti 989. Stephanus primus Rex Chriſtianus in Hungaria (cujus Regali Stemmati, Benedictus 8. Romanus Pontifex duplicem Crucem, eò quòd eſſet Rex ſimul & Apoſtolus, inſeruerat) Patrociniô Deiparæ armatus, toties vicit quoties pugnavit. Annô 997. Bellum adverſus Infideles Religionis causâ ſuſceptum, confecit feciliter. Eoſdem Hoſtes Annô 1002. denuo proſtravit. Et Anno 1030. per Sanctiſſimam Dei Matrem ab Invaſione Conradi Imperatoris, & Conjuratione Suorum, mirificè eſt liberatus. Quam proinde in Reginam & protectricem Regni ſui, exſtructâ in Honorem ejus Eccleſiâ, cum unanimi omnium Ordinum conſenſu, elegit.

145. Anno Chriſti 1363. Ludovicus Rex Hungariæ, inſignem ſub Patrocinio Mariæ de Barbaris adeptus eſt Victoriam. Poſtquam enim Se ſuosq; Protectioni Matris Admirabilis, in Loco Prodigiîs claro *ad Cellas Marianas*, nuncupato devoviſſet, paucis ſtipatus Copiîs, Hoſtem quantumvis numeroſiſſimum, intrepidè aggreſſus, fudit, & glorioſiſſimè debellavit. Quapropter gratias Divinæ Matri acturus, ad præfatum locum reverſus eſt, ibiq; in perpetuum Memoriæ & grati Animi Anathema, Gladium & Purpuram ſuam reliquit.

146 Annô Chriſti 1456. Albam Regalem, grandis de Chriſtiani Nominis Hoſte, cæsîs in ipſa Acie centum Turcarum millibûs, reportata eſt Victoria. Totum id B. Virginis Patrocinio

trocinio ab omnibus adſcriptum, ac deinde à Calixto 3. Romano Pontifice per ſpeciale Breve divulgatum eſt.

147. Geiſa, ſingularis Mariæ Cultor, priuſquam Arma adverſus Salomonem in Hungaria graſſantem arriperet, Votum ædificandi Eccleſiam ſub Nomine Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ſi Victoriam conſequeretur, emiſerat. Mox Aciem inſtruit ac contra Hoſtem educit. Et ecce! in ipſo Exercitûs progreſſu, prope Danubium, obvium habet miræ magnitudinis Cervum, ardentes inter Cornua cereos geſtantem: qui & diſparuit, forti, in animo Ducis impreſſione relicta, hoc in loco Eccleſiam exſtruendam eſſe. Quod & fecit, inſigni priùs obtenta Victoriâ.

148. Laurentius Franciſci Almeidæ Indiæ Proregis Filius, An: Chriſti 1506. adverſus Zamorinum Calecuti Regem, navali prælio decertaturus, cùm 11. Naves raptim adornâſſet, & vix octingentîs Luſitanîs inſtruxiſſet, jamq; ad ictum bombardæ ventum eſſet; innumerabilem pene hoſtilium Triremium multitudinem animadvertit. Levatîs igitur in Cælum oculîs, vovet, ædem ſacram Mariæ Virgini ſe exſtructurum, ſi malum ſuperaverit. Ardens itaque conflictus inſtituitur, & vincitur hoſtis, plurimîs adverſæ Partis, omnis generis Navibûs aut depreſsîs aut in littus ejectîs, cæsîs tribus hoſtium millibûs, & ſex tantùm Gregariîs è ſuorum numerô deſideratîs (quæ res miraculoſum DEI auxiliũ ſine ulla dubitatione monſtrabat)

Tandem captivas trahens onerarias permultas, prædâ & gloriâ onustus, Cananoris portum, in cujus Urbis conspectu res gesta erat, Victor introivit: ac primùm omnium, DEO sub nomine *Mariæ Virginis Victricis* Ecclesiam ædificãdam curavit. Maffejus lib: 3. Hist: Indi.

149. In Angolæ Regione ad Oram Africæ sitæ, multas insignes Victorias, ope Virginis de æthiopibus retulerunt Christiani. Semel, Añô 1583. Postquam exigua Lusitanorum manu duodecies centena millia profligata essent, & quidam Lusitanus ad Urbem Regis Angolæ delatus, percontaretur ex iisdem, quid causæ esset, quòd tanta multitudo tam facilè se in fugam præcipitaverit? Responderunt Æthiopum Duces: *Haud quaquam Lusitanorum Arma metuebamus, quos vel uno Spiritu difflare potuissemus, sed Fæmina admirabili specie clarissima effulgens in luce, seniorq; ejus Comes flammeum vibrans gladium, qui conspiciebatur ante signa, suspensis medio aere vestigiis, magnã incutientes spectnantibus formidinem, alienatos terrore animos, in fugam dederunt. Bencius de sede Angolana.*

150. Pariter & illa gloriosissima Añô 1571. 7. Octobris, Navalis Victoria sub Pio 5to, (à quo hac de causa Festum *B. Mariæ de Victoria* institutum est) contra Solimanum Turcarũ Tyrannum, præmissô omnium Principum protunc militantium ad Deiparam recursu, ejusdem Virginis stetit Patrociniô. In hoc conflictu, ingenti cum internecione pugnatum: in pugna-

pugna optimus quisque Turcarum miles, aut ferrô cecidit, aut captus est: hostibûs ad 30. millia cæsîs, 10. millibûs in Potestatem redactîs, Triremibûs 180. captîs, 90. demersîs, 15. millibûs Christianîs servitute liberatîs, parta ingenti prædâ, 116. majoribûs Tormentîs, 256. minoribus &c. Hæc, & innumera alia ejusmodi Exempla, Orbi nota sunt totq; in Libris fide dignissimis, Testimoniô non unius duntaxat, alteriusve, sed Populorum comprobata, legi possunt.

151. Universam Europam optatissima edocuit Experientiâ, ab Annô 1683. Septem & ampliùs Insignes de Turcis Victorias, Conflictu, ex intentione, ad aliquod B. Virginis Festum dilatô, cum speciali ad Patrocinium Ejus recursu à Cæsariano milite obtentas esse. Etiam nuper, duplex ille Triumphus, quem Eugenius, Cæsarearum Dux Copiarum toto Orbe celeberrimus, ad Themesvarum primò, deinde ad Belgradum, gloriosè adeptus est, B. Virginis precibus, ad quas Christianus miles, institutô circa Festum Ejus præliô, confugerat, meritò adscribitur.

152. Leopoldus Ferdinandi 2di Cæsaris Frater, suscepto Dresdam itinere, & Electorem Saxoniæ Archiducem invisens, eximia reciprocæ humanitatis expertus est Documenta. Inter alia, monstratum sibi celebre illud Gazophylacium, in quo natura & Ars, quænam alteri cederet, cum satisfactione spectantium, de-

certabat. Rogatusq; perhumaniter Leopoldus, ut quod potissimùm sibi arrideret, dignaretur eligere. Circumspicit, & tandem in Angulo quodã Deiparæ Imaginem animadvertit: hanc cunctîs Clenodiîs posthabitis, vel maximè sibi placere inquit, & concedi postulat. Postmodum interrogatus à suis, quamobrem tot inter Pretiosa, solam B. Virginis Imaginem elegisset, reposuit Princeps Piissimus, Eandem, adeo blandè obtutum in se defixisse, ut videretur interiùs sibi loqui: *Leopolde! Tu me de medio hujus mundi vanitatum tolle: ego id rependam tibi.*

153. Si Protestantes eximiam pietatem ac Devotionem erga Virginem DEI Matrem vel in ipsis Ditionum suarum Regibus & Principibus (antequam Lutherus & Calvinus cum suis Prædicantibus, omnia susdeque pervertissent) observare desiderant, non est necesse, ut multos evolvant Codices. Sed intueantur duntaxat in Anglia, Svecia, Dania, Saxonia, Prussia &c: &c: tot antiqvissimas Ecclesias olim in Honorem Matris DEI magnificè erectas; tot Ejus Statuas & Imagines, &c: Omnia hæc vel ipsa vetustate loquuntur; & Cultum ac Invocationem Virginis Mariæ, in vestris Proavis & Parentibus, in tot Principibus (quorum præclarè Gestîs, Fortunâ & Honore hodie gloriantur Successores) plurimùm viguisse deprædicant.

154. Jam, pro complemento horum, quæ ex infinitis pænè Exemplis, parcissimè in medium produxi, quæro: Omnenes isti Piissimi, Sapien-

Sapientissimi, Bellicosissimi, totque Historiis Celebratissimi Imperatores, Reges, Principes ac Civitatum Magistratus, per tot sæcula delirârunt? Lutherus duntaxat & Calvinus cum suis Asseclis (qui deinde per solam recalcitrandi Potestati Ecclesiasticæ licentiam, multitudinem in partes suas pertraxere) sapiebant? Quis credat?

DEFENSIO QUINTA
B. VIRGINIS MARIÆ

In qua Cultus & Invocatio Ejus ex tot miraculis & Prodigiis deducitur.

155. Præcipuam verorum Miraculorũ causam, DEUM solum esse, nemo dubitare potest, cùm de Ipso testetur scriptura: *Qui facit Mirabilia magna solus. Psal: 72.* Porro hæc, nequaquã in Confirmationem Doctrinæ falsæ, sed veræ tantùm & Divinæ poni posse quis ambigat? Aliàs enim ille qui summa veritas est, falsum, velrum esse testaretur: quod sine blasphemia admitti nequit. Poni autem Prodigia, revera in Testimonium & Confirmationem Veritatis Fidei, quæ DEUS operari consvevit, ex sacris Literis constat manifestè. Exem: causâ: *Opera, quæ Ego facio, Testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Joan: 5. v. 36.* Et: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet Potestatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico, tibi dico surge, tolle Grabatum tuum, & vade in Domum tuam. Marci 2. v. 11.*

Et

Et Nicodemus inquit: *Scimus, quia à DEO venisti Magister, nemo enim potest hæc Signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit DEUS cum eo. Joan: 3. v: 2.* Et Elias Signum de Cælo postulans ait: *DEUS, qui exaudierit per Ignem, ipse sit DEUS. 3. Reg. 18.* Et cap: 17. Mulier illa post resuscitationem Filii sui exclamat: *Nunc in isto cognovi, quoniam Verbum DEI in ore tuo verum est. &c:* Unde ulteriùs infero: si DEUS, cùm Virgo Maria specialiter colitur, ejusq; Intercessio expetitur, Miracula patrare, mirîsq; modis benefacere solet hominibus, Igitur Ipse Catholicam dè Cultu & Invocatione Mariæ, confirmat Veritatem.

156. Communiter SS. Patres Deiparam grāde Miraculum appellant. Exem: causâ Epiphanius (de B. V.) *O Virgo sanctissima, quæ Exercitus Angelorum in stuporem deduxisti: stupendum enim est Miraculum in Cælis, Mulier amicta Sole: stupendum Miraculum in Cælis, Mulier gestans Lucem in ulnis: stupendum Miraculum in Cælis, Mulieris Filius, qui & Sæculorum est Pater: stupendum Miraculum in Cælis, Dominus Angelorum, infans Virginis effectus est.* Et Damascenus Orat. 1. de Nativ. *O Miraculum omnium Miraculorum maximè novum! Mulier Seraphinîs sublimior effecta est. Sileat sapientissimus Salomon, nec jam nihil sub Sole novum esse affirmet. Creavit Dominus novum super terram, Fæmina circumdabit Virum. Jerem: 31.* Et sanè novum est Miraculum Maria, tum secundum se spectata: quòd Mulier Genetrix sit DEI; quòd eadem Mater sit & Virgo; quòd tot Privilegiorum prærogativis, præter cōmunem aliorum omniū Sanctorum

rum & Angelorum legem, tot tantisq; Virtutibûs & gratiîs supra reliquos fuerit exornata. Tum quòd ad Invocationem ejus, infinita penè in utilitatem Fidelium à DEO facta sint Prodigia.

157. Hinc B. Virgo à Damasceno Orat. 1. de Nativ. *Miraculorum Officina* dicitur, non tantùm quòd in ea & ex ea Verbum carnem susceperit, verùm etiam quia Virginis intercessione, innumera largitur DEUS, quæ præter naturæ ordinem fiunt. Testatur idem Damascenus Orat. 2. de Dormitione: Miracula quàm plurima in ejusdem Deiparæ dormitione effecta fuisse: *tum* (inquit) *& morbi fugam capessebant, & Dæmonum catervæ pellebantur, atq; ad subterraneas partes undique exigebantur. Hìc surdis auditus, claudis pedum firmitas restituebatur: peccatoribus in fide accedentibus Syngraphæ lacerabantur &c.* Testantur Scriptores non tot quinplures, quãta toto Orbe terrarum, & quidem manifesta, totq; sæculorum Testimoniô ac Populorũ consensu comprobata, ad Invocationem Deiparæ facta sint Prodigia. Ex innumeris aliquot duntaxat, præter ea quæ Defensione 4ta. libavimus, in medium proferam.

158. Annô Christi 233. S. Gregorio Thaumaturgo, cogitanti quomodonam Fidem Catholicam adversus illius ævi Hæreses validè defenderet, S. DEI Genitrix ingenti fulgore coruscans apparuit, & Doctrinam Fidei circa Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, edocuit. Quam & postea, Patribûs tam Græcis quam Latinis

ap-

approbantibûs, scriptis suis vulgavit. Visio hæc in Synodo Oecumenica quinta descripta habetur. Ann: Christi 3 6 7. contigit. celeberrimum illud circa Ecclesiam Deiparæ ad Nives, Miraculum. Joanni Patricio videndam se B. Virgo exhibuerat, injungens eidem, ut sumptus in Ecclesiam sub suo Nomine ædificandã, liberaliter conferret. Cujus locus & spatium, quantum occupatura erat, prodigiosè per Nives ipsîs nonis Augusti deciduas est definitum. Unde Ecclesia ad hunc usq; diem, *S. Mariæ ad Nives, vel S. Mariæ Majoris, nuncupatur.*

159. Nicephorus lib. 14. mentionem facit Imaginis B. Virginis miraculosæ, Annô Christi 446. celeberrimæ: quæ occultata in Cupresso, ingenti corruscans lumine apparuerat. Ad quam postea innumera à DEO edita sunt Miracula.

160. Annô Christi 363. Deipara Sancto Basilio Magno, Juliani Apostatæ interitum per visum exhibuit: ut refert ipse S. Joannes Damascenus Or. 1. de Imag.

161. Circa An: Christi 390. S: Augustinus l: 22. Civit. c. 18. de Virginitate Mariæ scribens, Miraculum memorat, quod Patroniæ Nobilissimæ Fæminæ contigerat. Et mox incredulitatem quorundam (quasi Novatores in spiritu prævidisset) reprehendit, dicens: *Non credunt hoc, qui etiam Dominum JESUM. per integra Virginalia Matris enixum, non credunt.*

162. In Vita S. Ambrosii (circa An: Christi 380.) legitur, quòd, postquam efflagitatô B.

Vir-

Virginis Patrocinio, Arianorum molimia admirabili prorsus modo superâsset, eosdemq; ex Diæcesi sua, & ex monte quodam, ubi convēticula instituere consveverant, profligâsset, Ecclesiam in Honorem B. Virginis erexerit, & in ea primus sacrosanctum Missæ Sacrificium celebraverit.

163. In Vita S. Cyrilli Alexandrini (circa An: Christi 420.) habetur, quomodo is sinistra malevolorum persvasione deceptus, Chrysostomum jam vitâ functum, Constantinopolitanorum Patriarcharum Catalogo inserere noluerit. Verum eidem B. Virgo unà cum Chrysostomo pro Cyrillo deprecante, per visum apparuit, severè monens, ut rectiùs de Sancto sentiret. Qua Visione adeo permotus est Cyrillus, ut Chrisostomum Diptychis Constantinopolitanis exnunc inscripserit.

164. Maria Ægyptiaca, quæ circa Annū 520. claruit, (cujus vitam Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, Author gravissimus literis madavit) post multa patrata flagitia, tandē ad pænitentiam rediens, ac propterea Jerosolimam profecta, cùm locum illum, ubi Crux Salvatoris asservabatur, ingredi vellet, violenta ac invisibili manu detenta est. Igitur ante Virginis Imaginem, quæ in atrio Templi erat, confugit, & precibûs à Matre DEI obtinuit, ut liberè ad S. Crucem accedere valuerit. Unde sic precatur: *Tu mihî Domina miserta es, measque preces non repulisti, per te merui Gloriam Salvatoris, per te glorificabo DEUM, peccatorum pænitentiam recipientem*

cipientem &c: Totum id in Synodo Nicæna 2. refertur & approbatur.

165. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Epistola ad Thomam Episcopum Claudiopoleos recitata in Synodo Nicæna 2. Act. 4. agens de Sacris Jmaginibus: *Extra omnem (inquit) controversiam est, Sanctorum Imagines mirifica designare Miracula, ut & debilibus valetudo bona concilietur &c:* Idq; confirmat Exemplô Deiparæ, dicens: *Extra omnem controversiam est, in Sozopoli Pisidiæ Civitate, Imaginem Virginis Matris intemeratæ, ex picta etiam manu sua ungventorum scaturiginem effundere, cujus sanè Miraculi plures Testes sunt.* Et revera etiam longè ante Germanū, in Vita Euthychii Episcopi Constantinopolitani, apud Surium die 6. Aprilis: fit mentio hujus Olei Miraculis celebrati circa Annum Christi 564.

166. An: Christi 590. Ex occasione ingentis Draconis & plurimorum Serpentum putrescentium, quos Mare in littus ejecerat, corruptus est aer, & Pestis secuta Ingvinaria, quæ Urbem Romam clade vehementissima depopulavit. Processio itaq; publica cum Imagine B. Virginis olim à S. Luca picta, à. S. Gregorio instituta est. Cessit Imagini pestilentiæ gravitas, quocunq; ferebatur. Unde Canticum illud Divinitus acceptum invaluit: *Regina Cæli lætare, Alleluia: quia quem meruisti portare, alleluia: resurrexit sicut dixit, alleluia: Ora pro nobis Deum, alleluia.* Finita Devotione visus quoq; est Angelus in Mole Adriani, super eam stans, & Gladium

dium in vaginam recondens: unde & Moli huic *Sancti Angeli* nomen inditum. Hæc Carolus Ligonius lib: 1. de Regno Italiæ, An: Domini 500. & 591 Aliiq; complures.

167. Annô Christi 728. S. Joan: Damasceno, Saracenos, inter degẽti, ad imposturã flagitiosissimi Imperatoris Leonis (qui scripta ejus pro veritate Catholica exarata, vehemẽter formidabat) Manus à Barbaris amputata est. Prostratus igitur ante Matris Dei Aram Sanctus, opemq; ejus ardẽtentissimè implorans, Manum abscissam brachio applicuit. Et ecce! Virgo clemens eidem videndam se præbet, & Manum, sola vulneris relicta cicatrice, Corpori restituit. Quod ubi innotuisset Saracenis, summa in Veneratione habitus est ab omnibus Damascenus. Ut authenticè refert in Vita ejus Joannes Patriarcha Hierosolymitanus.

168. Priusquam Valentia è Saracenorum Potestate à Jacobo Rege vindicaretur, per multos dies, Oppugnationis tempore, visæ sunt 7. Stellæ in locum quendam descendere. Res omnes in Admirationem rapuit Spectantes. Regis proinde jussu foditur terra illa, & subtus eam devotissima Virginis Mariæ Imago reperitur. Quæ ad hodiernum usq; diem prope Valentiam innumerîs claret Miraculis.

169. An: 847. Romæ in Antris juxta Basilicam S. Luciæ, quæ in Orphea sita est, ortus est Basiliscus, qui flatu suo omnes, ad easdem cavernas approximantes, celeriter necabat. Itaq; ipse Sanctissimus Pontifex Leo 4. cum universo Populo, Litanias de B. Virgine decan-

tans,

tans, jubensq; eundem subsistere paulò remotiùs, ipse sub hiatum cavernæ, unde Sævissimi Serpētis flatus pestiferi egrediebātur, accessit, & oculos in Cælũ tendēs, Christũ qui est super omnia Dominus, profusis lacrymîs, per Intercessionem Virginis Mariæ, ut dirum genus suâ potentiâ effugaret, deprecatus est. Quod & illico factum. Et quidem in Octava Assumptionis Deiparæ: à quo tempore Festum hoc cum octava celebrari cæpit. Rem gestam narrat Sigonius lib: 5. de Regno Italiæ. Anastasius Bibliothecarius. Platina &c.

170. S. Adalbertus, qui Polonis, Pruthenis, cunctisq; circa Mare Balticum Populis, Christi Evangelium primus prædicavit, & Fidem Catholicam edocuit, ac An: 997. inclytô Martyrio coronat9 est, cùm adhuc infans lethali morbo correptus esset, à Parentibus sub Altare B. Virginis locatus, iisq; deprecantibus: *Non nobis Domine, non nobis vivat puer iste, sed in tuum tuæq; Matris honorem*, in ictu oculi plenæ Sanitati restitutus est. Surius in Vita ejus.

171. Circa An: Christi 1080. Pastores, prope Monasterium S. Verecundi Abbatis Hyracensis, Stellas supra Clivum radiantes adverterant: qui locus hac de causa etiam hodie *Iricarra*, id est *Stellatus* nominatur. Re divulgata, Thesaurus in memorato clivo sollicitè quæsitus est. Inventa autem Sanctissimæ Dei Genitricis Imago, posthac Miraculîs celeberrima. In cujus Beneficii perpetuam Memoriam, Ramirez Navarræ Rex Civitatem *Stellam* dictam fundaverat.

172. Quantîs per Intercessionem B. Virginis expetitiis, antiquissima illa Ecclesia *S. Mariæ de Pilarî*, splendeat Prodigiîs, cunctis perspectum est Nationibus. De hac testatur Petrus Episcopus An: Christi 1118. in quanta frequentia, Populus non solùm Hispanus, sed & ex toto Orbe Christiano, ad Deiparam pro recipiendis Beneficiis, ab immemorabili, solitus sit confluere. Ut videre est apud Hieronymum Blancam accuratissimum Historicum, in Commentariis rerum Aragonensium.

173. Quàm miras Gratias Interpositio hujus Inclytæ Matris apud DEUM, in Domo Lauretana operata sit per tot Sæcula, & hodie adhuc operetur, tot perpetuæ memoriæ Anathemata, non à simplici duntaxat popello, sed & Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliisq; Piis, nec non sagacissimis Viris ibidē appendi solita proclamant.

174. Innumera quoq; Częstochoviæ in Polonia, ad Imaginem B. Virginis à S. Luca depictam eduntur Miracula. Hæc Imago circa Annum Ghristi 3 0 0. ab Helena Augusta Jerosolymîs Constantinopolim translata fuerat, quā deinde Nicephorus Imperator Carolo M: is autem Leoni Russiæ Principi donavit. Tandem Russiâ in Provinciam Poloniæ redactâ, Vladislaus Opoliensis Dux Annô 1382. eam in Mōtem clarum Częstochoviensem transtulit. Cicatrices autem quæ in ejus facie cernuntur, ab Hussitis fuerunt inflictæ, & nullis unquam obduci coloribûs potuerunt. Multa ibidem hu-

jus Virginis interventu ad huncusque diem patrantur Prodigia. Inter alia 7. mortui sunt ad vitam revocati, energumeni liberati plurimi, cæci, moribundi, naufragantes, captivi, variisque morbis afflictati, Divinam Opem senserunt, & hucusque sentiunt.

175. Æque beneficam se Mater DEI exhibere solet hominibus Jaroslaviæ in Russia, ad Imaginem suam dolorosam in Ecclesia Societatis JESU, ubi Prodigia, absq; interruptione sibi succedere videntur. In Monte Pessulano tantas Patrocinium B. Virginis operatur sanitates, ut Medici pauperculis infirmantibus, & pro remedio ad se confluentibus dicere soleant: *Ite ad Ecclesiam S. Mariæ, & gratis sanitatem recipietis.* Cæsarius lib: 7. c. 15.

176. Annô 1117. (ut refert Dodechius Germanus, qui circa hæc tempora vixit) in Octava S. Joannis Evangelistæ, terræ motus bis inter diem & noctem tam terribilis per totũ Orbem terrarum factus est, ut multa multis in locis ædificia corruerint. Sed maximè in Italia, ubi tam periculosus & horribilis fuit, ut manifestum DEI judicium homines super se expectarent. Nam & montes scissi, & flumina terra deglutiente exsiccata sunt &c. Inter hæc, apud Cremonam Infantulus quidam in cunis jacens, & fasciis obstrictus, in primam loquẽdi vocem contra naturam, os aperuit, asserens sibi visam DEI Genitricem Mariam, ante Tribunal Christi stantem, & ardentissimîs precibûs pro hominibus supplicantem. Et post dicta

cta hæc deposuit eloquium, usque ad tempus humanæ conditioni congruum.

177. Circa Annum 1222. Cùm Populus Sacrosanctæ Missæ Sacrificio interesset, Deiparæ Imago tam vehementer sudare cæpit, ut omnes circumstantes in profundissimam abriperentur admiratione. Hæc inter obsessus quidam à Dæmone, clara voce exclamavit: *Quid statis admirantes? Filius Mariæ manum extendit ad feriendum, quam ipsa supplex tenet; & ideo sudat.*

178. Sigismundus Imperator (qui An: 1437. obiit) cùm ad Partes transalpinas bellando accessisset, contigit ibi militem quendam cecidisse. Post multos verò Annos, dum idem Imperator denuo in illam Plagam cum Exercitu venisset, ecce! omnibûs audientibûs, vox quasi fletûs & lugubris sibilationis cæpit insonare. Ad hanc cùm omnes auscultantes, quidnam foret, subsisterent, mandavit Imperator, Sylvas inter, & circum jacentia vepreta gemitum inquiri. Et invenitur cadaver in rubo putrefactum, adeo ut increscentes veprium spinæ ipsum pertransiendo penetrauerint, unde flebilis ille sonus audiebatur. Percontantibus itaque, quid vellet? *habetisne Sacerdotem* (reponit homo cadavericus) *cui peccata confitear? Ego enim ante plures Annos Miles in hoc pugnæ loco corrui, sed quoniam B. Mariæ specialiter devotus fueram, ideo precibûs ejus id mihi à DEO impetratum, ut Anima à Corpore quantumvis putrefacto, donec rite absolvar à peccatis meis, non solveretur.* Mox absolutus sacramentaliter à Presbytero, obdormivit in Domino.

 mino.

mino. Hæc, Imperatore & universo Exercitu spectante, facta sunt. Vide Pelbartum in stellario Coronæ Gloriosæ Virginis.

179. Annô 1508. Cùm Nobilis quædam Mulier nomine *Longa*, paralysi laborans, Neapoli Lauretum profecta esset, & in sacra Æde Missam illam audire cuperet, in qua Evangelium Paralitici à Christo sanati legitur; repente Sacerdos quidam eo venit sacrum facturus, & eandum Missam illam legere cæpit. Ubi verò ad Evangelii locum, in quo Paralytico Dominus, *Tibi dico surge*, pervenit, Mulier subitò perfectæ Sanitati est reddita. Sacerdos autem disparuit. Tursellinus lib. 2. Hist. Lauret. c. 28.

180. In Vita S. Cæsareæ habetur, (circa An: Christi 1444.) quòd ex Matre omnino sterili per Miraculum nata, & assiduis precibùs ac Jejuniîs Sabatinis (ut Josephus Benignus Eremita Divinitus prædixerat) à B. Virgine impetrata sit. Quamobrem à moriente Matre sua hoc salutare monitum acceperat: *per dolores, quos pariens te, pertuli, rogo, Deiparam Virginem semper ut Matrem cole: & Sabbatinum quot Septimanis Jejunium illi consecra.*

181. Zelosissima in amplificando Virginis Mariæ Cultu fuerat S. Hedwigis. Templa & Conclavia Imaginibûs ejus præstantissimîs exornabat. Inter alias unam habuit auream ejusdem Divinæ Matris Iconem, quam nunquam è manu sua, etiam in extrema cum morte lucta dimiserat. Cum hac itaque tumulo illatum Corpus, & post 25. Annos revisum, corruptum quidem

quidem inventum est; veruntamen digiti quibus Iconem premebat, ab omni prorsus corruptione immunes permanserant. In Vita 15. Oct:

182. Post Vladislai devotissimi Regis Hungariæ obitum, Corpus ejus, in Ecclesia quam Rex in honorem Deiparæ magnificè exstruxerat, sepeliendum, Varadinum Curru splendidisimo deportatum est. In itinere prope Civitatem memoratam, cùm Procerum Comitatus unà cum Curru Regio, solutis Equîs, ut pabulô reficerentur, paulisper subsisteret: Ecce Miraculum! Plaustrum, Regis cadavere onustum, absq; Equorum Hominumq; adminiculo, sponte moveri cæpit; & recta in Civitatem ante Sacram Virginis Ædem, ubi deponendum erat, properavit. Rho: in Sab: Exem: 9.

183. Sed accedamus jam ad Lutheri tempora. An: 1513. Sub Leone 10. Summo Pontifice, Sacerdos Dalmata captus à Turcis, & ad deserendam Religionem sollicitatus, cùm IESUM & MARIAM identidem invocaret, asserens se Nomina hæc in præcordiis gerere, votumq; fecisse adeundi Domum Lauretanā; Furentes Turcæ discisso pectore, intestina à sum̄o recisa extrahunt, eaq; semineci tradunt, per ludibrium exprobrantes: Abi jam, propera, & viscera in quibus hærere ais Mariam, ad eam perfer. Moribundus Sacerdos, Deo mortem morante, viresq; suggerente, ire pergit, donec admirabili modo, sua Exta manu præferens, Lauretū pervenit. Quacūq; transivit numerosissimus ad eum hominum confluxus factus est. Tursel. lib. 2. c. 18.

184. An: 1584. Jacobus Marchio Badensis, ex Germaniæ Principibus, propter vulnus in brachio, glande plumbea in Coloniensi tumultu acceptum, ad ultimum Vitæ discrimen venerat. Itaq; B. Virginem Lauretenam implorat, vovens, se cum Donis iturum Lauretum, si Salutem recuperaret. Mox à periculo mortis eximitur, ac sanatur: sed ita ut brachium movere non posset. Lauretum igitur Voti exsolvendi causâ proficiscitur: ubi finita Devotione, noctu (quæ erat Natalis Domini) per quietem advertit sanctissimam DEI Genitricem attingere brachium suum, illudq; momentô perfectè sanare. Qua de causa Romam se contulit; Miraculum Juramentô ac Testibûs comprobat, & longè lateq; divulgat. Porro Marchio hic è Lutheranismo ad Fidem Catholicam antè conversus fuerat, ac proinde multos suorum postea, tam manifestô Prodigiô permotos, Ecclesiæ Romanæ aggregavit. Tursel lib. 5. c. 6.

185. Etiam in America prodigiosa B. Virginis claret Intercessio. E. c. Postquam Chilensis Oræ Prætor Regius, Vir bellicosus, obiisset, Indi cristas adeo erexerunt, ut de perdendis prorsus Hispanis sedulo agerent. Cumq; Chilenses naturâ bellicosi Urbis Imperialis aditus omnes occupâssent, ita ut nulla spes esset subsidii, ad Deiparæ Patrocinium, unanimi consensu, implôrandum confugerê Hispani. Et ecce! innumerabilis penè Avicularum multitudo, intra Civitatis vallum subitò convolavit,

quarum

quarum aucupiô vitam ſuſtentare, & hoſtium frangere pervicaciam valuerunt Chriſtiani. Rodericus Cabredus in literis ex Regno Peruano.

186. Annô Chriſti 1655. Sveci longè lateꝗ graſſabantur per Poloniam: tandem conati ſunt etiam Clarum Montem Częſtochovienſē, Miracaculîs ad B. Virginis Aram fieri ſolitis, celeberrimum, hoſtilibûs Armîs oppugnare. Verùm Mons ille denſiſſimâ perſæpe involvebatur nebulâ, adeo ut è Caſtris ſuis licèt proximè locatis, nequidem videri potuerit. Globi Tormentîs excuſſi, viſi ſunt in adverſa Caſtra remeare: mox & Perſona quædam terribilis, iis, qui cuniculos ſubteraneos conſtruebant, apparuit, & machinas diſſipavit &c: Omnia hæc ab ipſiſmet Svecis ubiꝗ divulgata ſunt. Tandem, poſtquam omnia adverſùs Arcem Virgineam, caſſo molimine tentâſſent, timore perculſi, fugam arripuêre. Verùm brevi poſt Czarneccianô Gladiô partim cæſi, partim diſperſi ſunt. Ut proinde inter Svecorum Generales tale invaluerit Proverbium: *Si quid Marte aut Arte vales, expugna Częſtochoviā.* Vide Añales.

187. Annô Chriſti 1656. accidit prodigioſa illa, totiꝗ Orbi nota, Regis Africani de Fez, è ſecta Mahometis ad Chriſti Fidem, Patrocinió B. Virginis facta Converſio. Belli laudibûs multùm celebris Rex iſte fuerat: duo ſiquidem Regna, antè ſibi erepta, Tafilet videlicet & Maroci, Armîs & dexteritate ſua recuperaverat. Qua propter, Grates exſolvendi Superis causâ, Mecham, ubi Machometis Sepulchrum viſitur

tur, iter ſuſcipit. Aſt Tuneti pauliſper ſubſiſtenti Perſona quædam per quietem apparet, inquiens: ſe minimè permiſſuram, ut ad locũ intentum perveniat, ſed potius in Chriſtianorum Oras eundem, ut Religionem Chriſtianã ſuſcipiat, perducturam. Expergefactus Somnium ſpernit, Navemq́ ascendens, Tunetô ad præfixum terminum vela dirigit. Vix aliquod Maris ſpatium emenſus, in Chriſtianorum Naves incidit, & captus Melitam ducitur. De quo Infortunio certior factus Rex Tunetanus, pro Redemptione ejus 40. Aureorum millia obtulit Melitenſibus. Interim Captivo, Pretioſſima DEI Mater ſeſe per Somnium videndam præbuit, inquiens: *Adoptabo te mihi in Filium.* Verùm obſtinatus in Secta ſua Machometanus, nihilq́ magis quàm Reditum ad ſuos cogitans, parum id apprehenderat. Ubi verò innumeri, ſuſcipiendi Itineris ſternerentur obices, hacque de cauſa mirabundus & anxius Menſæ ſuæ aſſidens, in ſomnum laberetur, denuo Perſona hæc, monens, ſtimulans, urgens, ut S. Baptiſma, ſine quo Salus haberi nequit, & propter quod in Chriſtianorum Ditionem delatus eſſet, ſuſciperet, eidem apparuit. Quæ tandem Viſio, adſpirante Divina Gratiâ, adeo Virum immutavit, ut Regna ſua, Divitias, Uxorem ac Conſangvineos propter Chriſtum ſpernere inciperet, nec ullis jam Affricanorum ſuorum perſvaſionibûs ad reditum induci potuerit. Ablutus itaq́ Sacro Fonte, & abdicatîs omnibus Fortunæ Bonîs, etiam iis, quibus à Melitenſium

ſium Generoſitate abunde cumulatus fuerat, Societatem JESU ingreſſus eſt. In qua vivens piiſſimè, complures Infideles Veritatem Catholicam edocuit. Deinde in Regnum Mogor, ut ibidem Fundamenta Fidei jaceret, expeditus, ſanctè obiit. Rem totam deſcribit fuſiûs Admodum R. P. Thyrſus Gonzalez Societatis JESU Generalis in Manductione ad Mehometanos convertendos.

188. Annô Chriſti 1677. Cùm Arx Trebowla nuncupata, à Turcis obſidione cingeretur, Nobilis quidam Polonus, Tartarorum declinaturus Incurſiones, fugiens, contra ſpem ſuam in eoſdem incidit. Igitur Votum ad B. Virginem doloroſam, Jaroslaviæ in Eccleſia PP. Societatis JESU Miraculîs claram, elicit. Res mira! tametſi medios inter Tartaros verſaretur, à nemine tamen viſus eſt. Sed per obvias ſibi Barbarorum Turmas ſecurus progrediens, Jaroslaviam uſq; pervenit. Ubi prodigioſum B. Virginis Mariæ Patrocinium, Jure jurãdo confirmatum omnibus divulgavit; & ſuſceptîs Pænitentiæ ac Euchariſtiæ Sacramentîs, Tabulam argenteam velut perpetuum Gratitudinis monumentum, Imagini ejus appendit.

189. Porro mirîs ejuſmodi, Sanctiſſimæ DEI Genitriciîs benefitiis innumeri fere replentur Codices: & quidem à tot piis, doctis, & Fide digniſſimis Authôribus (in quos nulla prudens fraudis, mendacii, aut deceptionis ſuſpicio cadere queat) exarati. Ut proinde nemo hæc in dubium vocare poſſit; niſi temerarius, per-

vicax

vicax, & obſtinatus videri; omnemq́ Fidem tot Chriſtianis Scriptoribus adimere; ac proinde totum noſtris Temporibus cum Antiquitate comercium, pro ſola negandi libidine, intercludere velit. Sed &, quis Homo moderatus, Luthero potiùs & Calvino cum ſuis Diſcipulis, (qui ut comenta ſua ſtabilirent, talia merè pro libito, abſq́ ullo in contra afferibili convictivo fundamento negârunt primitus, ſuumq́ deinde Gregem ſimili perſvaſione imbuerunt) quàm tot ſæculorum Hiſtoriis, crediderit? Præſertim cùm memorata Prodigia, (ut dixi) à Viris, qui nullam proſus mentiendi neceſſitatem habebant; nec tantùm à nonnullis, verùm innumeris pæne; nec ſolùm nuper, ſed & per tot ſæcula unanimi conſenſu; nec Eccleſiaſticis duntaxat Perſonîs, ſed & Politicis, iiſque perſpicaciſſimis referantur.

290. Aſt compertum eſt, (replicant hìc Adverſarii) quasdam de hujusmodi Miraculorum Relationibus, ſubreptitias eſſe; multa, nimis facilè credi à Populo; multa refelli à ſuis Prædicantibus; in multis debitè enarrandis nec ipſos convenire Catholicos. Reſpondeo: Nos illa pro certis habemus, quæ certîs nituntur fundamentîs; pro dubjis, quæ nituntur dubiis: & hæc duntaxat Fide Divina credimus, quæ per Eccleſiæ Definitionem comprobantur. Sed quis prudens, ideo omnia per Virginis Beatæ Interpoſitionem patrata Prodigia negaverit, quòd nonnulla à quibusdam adjiciantur ſubreptitiè? Nunquid Chriſti Salvatoris dictis & Geſtis

Geſtis ideo neganda Fides, quòd Evangelia quædam, ut Thomæ, Bartholomæi, Jacobi, Nicodemi, inveniantur Apocrypha? Populus præproperè interdum (dicunt illi) & abſque juſta cauſa, arbitratur mirum eſſe, quod non eſt. Quid tum? igitur omnia mira, etiam ſolidiſſimîs nixa fundamentis perneganda? Imo, vel ex eo, quòd Narrationibus quibusdam tam facilè aſſentiatur Populus, colligitur hanc credendi facilitatem per tot indubitata Miracula, procreatam eſſe.

191. Multa (inquiunt) à ſuis confutari Prædicantibus: Sed quomodo? perperam negando, & temerè reſpuendo? Ideone quatuor novi Teſtamenti Evangelia in dubium revocanda, quòd nonnulli eadem oppugnaverint Adverſarii? Exem: causâ quòd Fauſtus Manichæus (ut teſtatur S. Auguſtinus lib: 32. Contra Fauſtum cap: 2.) multîs voluerit ſcatere erroribus, nec à Chriſti Diſcipulis conſcripta fuiſſe? Aut quòd Alogiani (teſte Epiphanio Hæreſi 51.) tres tantùm Evangeliſtas, Matthæum, Marcum & Lucam, repudiato Joanne, admiſerint? Aut quòd Lutherus Præfatione in novum Teſtamentum, docuerit, abolendam eſſe falſam illã Opinionem, quaſi 4. ſolùm eſſent Evangelia; Item Evangelium Joannis unicum eſſe purum, verum ac principale Evangelium, aliiſq; tribus longè ac latè præferendum, adeo ut etiam Pauli & Petri Epiſtolæ, Evangeliis Matthæi, Mari ci, & Lucæ, ſint præponendæ? Variant Scrptores Catholici circa quorundam Prodigiorum

rum

rum circumſtantias ſed quid tum? num propterea, non credendum, Chriſtum Dominum pro nobis crucifixum & mortuum fuiſſe, quòd aliqua inter Scriptores, circa Paſionis tempus, aliaſq; circumſtantias, exorta fuerit Controverſia? Iis enim, qui docent, Chriſtũ Annô ætatis ſuæ 33. & 18. Imperii Tiberii Cæſaris, paſſum, quidam olim refragabantur aſſerentes, id factum eſſe Annô ætatis 20. & 15. Imperii præfati Cæſaris. Quin imo vel ex ipſis hujuſmodi controverſiis Subſtantia Rei comprobatur. Pariter & de memoratis Prodigiis ſentiendum.

192. Quanquam, nequidem opus eſſet, pro tuenda Cultûs & Invocationis Divinæ Matris Veritate, in recenſendis mirabilibus, antiquiora conſulere aut excutere volumina: Cùm uſq; hodie plurima, eaq; palpabilia, tot in Locis, ad Virginis Aras experiamur Prodiga. Imagines, ad quas DEUS eximia patrare ſolet Beneficia, per Orbẽ terrarũ reperiuntur innumeræ. Exempli causâ, Lauretana, in Italia, Florentina, Cæſarauguſtana, Valentina, Montis ferrati in Hiſpania; Montis Virginis in Regno Neapolitano; Drepanitana in Sicilia; Sveſſionenſis, Laudunenſis, Anicienſis in Gallia; Oetringenſis in Bavaria, in Diæceſi autem Herbipolenſi B. Virginis in Dittelbach; ad Cellas Marianas in Styria; Czeſtochovienſis & Jaroslavienſis in Polonia; ad S. Tiliam in Boruſſia; Jenicovenſis & Wartenſis in Bohemia; Klinicenſis in Silieſia; Sacromontana in Morravia &c. &c. Ubiq; tot aureæ argenteæq; cernuntur Tabulæ, quibûs perceptæ ab omni hominum genere, ſine intermiſ-

ſione prædicantur Gratiæ. Videre eſt cunctos Mortalium Status, levatis manibûs Grates exſolventes. Hìc de ſublimi Ædificio in præceps ruens, ibi aquîs abſorptus cum fluctibus contendens, exprimitur. Hìc ab indomito raptatus Equo, ibi Hydromolæ tympanis implicatus; hìc vulneratus à Latronibus in via, ibi morbîs afflictatus in cubili ſuo; hìc flammis circumdatus, ibi ruderibus Domûs obrutus, præſentatur. Omnes iſti, mirô ſe B. Virginis Patrociniô, maximis Vitæ periculis ereptos fuiſſe, perpetuîs teſtantur Characteribûs. Quid? Hæcne figmenta? Quæ mentiendi, & quidem cum tot expenſis, neceſſitas?

193 Sed unum ſaltem alterumvè etiam eorum, quæ recentiſſimè facta ſunt, attingamus. Anno 1727. 4. Aprilis. Jaroslaviam, ad Thaumaturgæ Matris Aram delatus eſt Vir Nobilis extremè infirmus: qui integro fere die in Eccleſia commoratus, finita Devotione, illicò Sanus & adeo vegetus factus eſt, ut propriis Viribûs ad Sua reverti valuerit. Anno 1726. ad S. Tiliam miris B. Virginis Beneficiîs celeberrimam, me præſente & ſpectante, Homo quidem Oculorum lumine prorſus orbatus, ut proinde ope alterius in Eccleſiam duci debuerit, derepente viſum recepit &c.

194. Hìc percontantur Adverſarii, cur & nos ſimilia non videmus? Ego verò idem Reſpondeo, quod olim Chriſtus Thomæ incredulo, qui dignitſſimis Fide Apoſtolis unanimi voce atteſtantibus, Salvatorem reſurrexiſſe à

Mor-

Mortuis, donec ipse videret, credere recusabat. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Joan: 20. v. 29.* Cur Christus coram Herode, tametsi is vehementer desideràsset Signum aliquod videre, nullum patravit Miraculum? Pharisæi multa videbant Prodigia, quæ Dominus fecerat, non tamen cerdiderunt: sed, alia Artibus dæmoniacis, alia Infascinationi, aut nimiæ credulitati Populi tribuebant. Etiam modernos inter Dissidentes, haud pauci reperiuntur, qui aliqua saltem, in Ecclesia Catholica fieri solita Miracula, oculîs suis spectârunt: Verùm hæc vel ocultis quibusdam causis naturalibus temerè appingunt; vel propter Respectum humanum, aut aliud temporale commodum inflexibiles effecti, iîs ad amplectendam Religionem Catholicam permoveri renuunt.

195. Annô 1706. Cùm Svecorum Regimen Calissii in Majori Polonia subsisteret, Officialis quidam Lutheranus, advertens apud Civem Catholicum, Lampadem ante B. Virginis Imaginem ardere, cepit primò indignari, deinde multa contumeliosè in Dei Matrem evomere. Moxq; scalam ascendens, spurcissima quædam Carmina sua parieti affixit, & præfatam lampadem, Imagini detractam, iisdem applicuit, inquiens, his potiori jure Illuminationē deberi quàm Mariæ, dixit & invisibili manu de Scalis præcipitatus, fracta cervice, miseram Animam illicò exhalavit. Res Svecis protunc Calissii existentibus, protinus innotuit. Confluunt,

fluunt, ſtupent, trepidant: & quamvis nonnulli è Moderatoribus, impudens ſui Commilitonis factum palam deteſtati ſint, profitentes meritò à Deo punitum eſſe; falſitatem nihilominus Doctrinæ ſuæ, quæ Cultum & Invocationem Virginis Mariæ, tot ſpretîs Prodigiîs, pervicaciter rejicit deteſtari neglexerunt. O, quanta in perverſis obſtinatio!

196. Annô 1713. Lublini (cùm ibidem præſens adeſſem) in Suburbio malus Dæmon Domunculam quandam obſederat. Confluebat ſingulis diebûs ingens è Civitate hominum multitudo, etiam complures Proteſtantes: qui Infeſtationes Stygias, præſertim lapides continuò per àërem volitantes, quos infernalis hoſpes, arcano impetu explodebat, oculîs ſuis ſpectabant. Remedium allaturi Viri Spirituales, ingrediuntur Domum, ac lagenam aquæ per Invocationem S. Ignatii Benedictæ, menſæ imponunt Et ecce! in præſentia tot hominum, lapis de angulo prorſus vacuo in lagenam irruit, ita tamen, ut fractô licèt & excuſsô Vitri labellô, ne guttam aquæ benedictæ effuderit. Cujus mox aſperſione, malum penitùs ſopitū eſt. Cum itaq; ex occaſione hac, quoſdam familiares mihi Diſſidentes (quibus res tota benè perſpecta erat) ſalutariter monerem, ut veritatem de Invocatione Sanctotum Catholicam, protinus agnoſcerent, & ad eam, quā Deus tot confirmat Prodigiîs, Religionem, ſeſe converterent, ſtupentes quidem, in errore tamen obſtinatos, deprehendi. En! quamvis

Signa

Signa de Cælo videat & Prodigiã, non credunt!

197. Circa Annum 1697. Civis quidam Thorunensis, religione Lutheranus, professione Aurifaber, Vir non vulgari experientiâ, & longîs per Orbem rerrarum peragrationibûs (etiam Goam in Indiis Orientalibus, ubi S. Xaverii Corpus claret Miraculis, siquidem inviserat) notabilis, interrogatus à nostris Patribus, num vera essent, quæ de Prodigiis ad Invocationem S. Xaverii fieri solitis, narrantur? Respondit palam, omnino vera esse, seq; ipsum spectâsse, quomodo cæci visum, & muti loquelam receperint. Quare igitur (urgent Nostri) Fidem Catholicam, quam Deus tot Signis de Cælo comprobat, non amplecteris? Subridet ille, inquiens: *Xaverius ejusdem Fidei fuerat, cujus & Ego sum.* Deum bonum! quid loqueris? reponunt Patres: Numquid non Orbi notum, S. Xaverium fuisse Jesuitam, & quidem unum de præcipuis Jesuitarum Antesignanis, Sacerdotem Romano Catholicum, Religiosum tribûs obstrictum Votîs, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; celebrâsse Missas, distribuisse Communionem sub una specie, obtemperâsse cum summa reverentia Romano Pontifici &c: &c:? Deinde, si tanta ad invocationem S. Xaverii fiunt Prodigia, Ergo Invocationi Sanctorum, & Sacrarum Reliquiarum Cultui Cælum annuit. Ad hæc nihil valebat replicare, nisi fateri, se in concepto semel errore obstinatum esse. Utquid igitur nostra intueri prætendunt Miracula? Aut cur, quoties non vident, temerè pernegant?

198. Sed concludo: Quicunque Adversariorum Præcones, insistendo Doctrinæ suæ Principiis, asserere non verentur, omnes Doctores & Scriptores Catholicos, sive Antiquo, sive recentiores, omnes Episcopos & Presbyteros, qui de Thaumaturgæ Virginis Mariæ Jconibus, deque prodigiis ad Invocationem ejus fieri solitis testantur, mentiri, & lucri gratiâ decipere Populum: Omnes quoque Principes, Nobiles, & ignobiles, qui se mira ejusmodi Beneficia expertos esse, tot Testimoniîs & Anathematibus fatentur, decipi & errare; Solos verò Dissidentes, talia perperam negantes, sapere &c: Propositionem ponunt, non tantum hæreticam, sed & impiam, & temerariam, & deniq; fatuã. *Hæreticam*, quia complura omnino evidentia DEI Miracula, illusionem & deceptionem, in ipsum Spiritum S. delinquentes, appellant. *Impiam*, cùm tot Piis ac Dignissimis Viris tam grande delictum imponant. *Temerariã*, quia absq; ulla probatione. *Fatuam*; Quæ enim major fatuitas, quàm, tot Ecclesiæ Prælatis, etiam de Principum & Regum Prosapia oriundis, adeoq; rebûs temporalibus aliunde sufficientissimè instructis; tot præterea Viris Religiosis, etiam iis, qui per voluntariam Paupertatem, amplissimis Sese Fortunæ bonîs exuerunt, nec mentiendi necessitatem habent, (quâ alias Oppositi Prædicantes ordrnariè premi solent) appingere, quòd lucri gratiâ decipiant Populum.

DEFENSIO SEXTA B. VIRGINIS MARIÆ,

In qua Cultus & Invocatio Ejus, Lumine rectæ rationis, vel in ipsis saltem multis Dissidentibus, imo Mahometanis, Iudæis, & Gentilibus, relucente illustratur.

199. Quamvis Lutherus & Calvinus unà cum rigidis Doctrinæ suæ Sequacibus, spretô B. Virginis Cultu ac Patrociniô, enormibus eam cōtumeliis affecerint, multi nihilominus, moderatiores inter, repetiuntur Protestantes, qui saniore sensu præditi, Deiparam colere, imo & invocare saltem implicitè, suaq; Conclavia Iconibûs Ejus adornare non reluctantur. Et, (quod majùs est) vel inter ipsos Dissidentium Præcones, nonnulli Eandem etiam laudibûs prosequuntur. Talis fuerat celebris ille Lutheranorum Pastor, Joannes Spangenberg, qui in Concionibus suis Germanicis, eò visus est collimare, ut Salutationem Angelicam, *Ave Maria &c:* Suis persvaderet. Quæstionem enim proponit, *Num Salutatione hac etiam nos uti possimus?* Et respondet sequentia: *Hæc est Salutatio, qua Sanctissima Trinitas Virginem Mariam per Angelum salutaverat: & ideo neq; nos recusemus, pariter Eandem salutare. Ipsa utiq; canit in suo Magnificat; Respexit humilitatem Ancillæ suæ: ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes Generationes. Si verba hæc verificanda sunt, igitur necesse est, ut reperiantur homines, qui Eam laudent & glorificent. Cæpit laudare Elisabeth*

ſabeth Luc: 1. Beata, quæ credidiſti. Similiter & illa Mulier Luc: 11. Beatus Venter qui te portavit, & Ubera quæ ſuxiſti. Quis modo Virginem iſtam Beatam prædicabit? Judæi, Turcæ, hypocrithæ & falſi Chriſtiani id profectò non facient, ſed potiùs blaſphemant eam. Igitur hoc nobis re vera competit Chriſtianis. Quamorbem iniquè agunt, qui præ nimia ſolertia ferre nequeunt, quòd Ave Maria &c: dicatur. Huc usq; Spangenbergus in poſtilla ſua, die Annutiationis Virginis Mariæ: ut videre eſt apud P. Scherer Con: 1. pro Domi: 1. poſt Epiphaniam. pag: 139.

200. Velipſe Machometes, ejuſq; Diſcipulì, præſuppoſita Chriſtianæ Religionis notitiâ, & lumine rectæ rationis naturaliter dictante, Matrem JEſu Chriſti ſpeciali honore, in ſuo proſequuntur Alcorano. Inter alia, hæc, ibidem expreſſa habentur: Nullus de filiis Adam naſcitur, quem non tangat Satan, præter Mariam & Filium ejus. Ann: 1648. notabilis Conditionis Turca, cognomentô Abel, Natione Mauritanus, captivus Neapolim adductus eſt. Hic quãtumvis Machometanus, conſvetudinem tamen à multis Annis, colendi Virginem Mariã conceperat. Ardentem etenim lampadem in Horto ſuo, propriis impenſîs, quotidie in honorẽ Ejus alebat. Cum autem inter Chriſtianos exiſtens, diu tergiverſaretur Baptismum ſuſcipere, eidem Deipara per quietem apparuit, brachium arripiens & monens: *ad Filium meum illicò convertere!* Qua Viſione mirificè recreatus, Sacras Undas protinus expetiit. In Annalibus.

201. Etiam Judæi, virulentiſſimi, Nominis

Christiani hostes: non quidem absolutè, conditionatè tamen, videlicet sub hypothesi, quòd JESUM Christum, DEUM & Salvatorẽ mundi esse agnoscerent, specialem profectò Cultum Matri ejus tribuerent, nec invocare Eandem recusarent. Res apprehensione digna non adeo pridem accidit. Dum Lutheranus quidam haud modicè pervicax, de Cultu & Invocatione B. Virginis, cum Sacerdote Catholico acriter dissferens, non solùm Veritati nequaquam acquiescere, verùm etiam conviciis (quæ à suo Luthero didicerat) Eandẽ onerare; pergeret obviã altercantibus venit Judæus. Quo viso exclamat Sacerdos: Siste gradum infidelis Hebræe? Scio te quidem in JESUM Christum Dominum nostrũ non credere; ast demus casũ, quòd Eundem agnosceres verum Messiam & Redemptorem Mundi esse: quid? num Matrem quoq; ejus, speciali honore colendam, suamq; apud Filium intercessionem implorandam censeres? Ad hæc Judæus recta ratione nixus, immediatè reposuit: Eum, qui credit in JESUM & Matrem nihilominus ejus colere aut invocare detrectat, mente captum esse oportere.

202. Gentiles accepta ex Relatione Prophetarum notitiâ de Virgine Salvatorem Mundi Paritura, ipso naturalis luminis impulsu permoti, etiam longè ante Deiparæ Nativitatem, honori ejusdem Loca quædam dedicârunt. Ægyptii ante Adventum Christi, Virginem in lecto, & infantem in præsepio collocare & venerari consveverunt, teste Canisio lib: 2. c. 7. Causam

ſam afferentes, quòd Majores ſui à Propheta Jeremia, Salvatorem Mundi ex Virgine naſciturum dedicerint. Ipſæ Sybillæ ante Chriſtū natum de Dignitate & honore huic futuræ Virgini dando vaticinatæ ſunt: ut videre eſt apud Lactantium, lib: 1. contra Gentes. Multis, antequam Virgo Maria orbi illuceſceret, Annis, Carnuti, Urbe Galliæ Lugdunenſis florentiſſima, in eodem agro, qui ipſorum Comitiis erat deſtinatus, Aram ſub terra profundè excavata erexerunt, cum hac inſcriptione, *Virgini parituræ.* Ut loci hujus Incolæ ab im̃emorabili conſtanter affirmant: referuntq́, Caſſaneus in Catalogo gloriæ Mundi part. 12. Conſider. 20. Et alii: poſtea ampla Eccleſia, Liberalitate Caroli Calvi Regis Chriſtiani erecta eſt. Ut teſtatur Belforeſtus in Annalibus Franciæ.

203. Experientia quoq́ compertum habemus, Gentes omnes & Nationes, quibus Chriſti prædicatum eſt Evangelium, & noſtris adhuc prædicatur temporibûs, (ut in Indiis tam Occidentalibus quàm Orientalibus) ſuſcepta Fide in Chriſtum, jam propria ſponte, ipſaque recta ratione magiſtra, in Cultum ac Invocationem Matris ejus, ferri propenſiſſimè. Nec nobis opus eſt perſvaſionibûs aut Argumentîs, quibus ad hanc Veritatem amplectendam inducantur, ſed ipſa in Chtiſtum Fides, abunde ſufficit. Verbô, qui ſincerè Chriſtum JESUM Dominum noſtrum profitetur, is vel lumine Naturæ Divinitùs illuſtrato, convincitur, Virginem Mariam Studioſè colendam, ejuſq́ Patrocinium fructuosè expetendum eſſe. DE-

DEFENSIO SEPTIMA.
B. VIRGINIS MARIÆ

In qua Cultus & Invocatio Ejus exinde quoq; evincitur, quòd Dæmones & Potestates tenebrarum ad Veritatem hanc contremiscant, seq; victos esse fateri cogantur.

204. Martinus Delrius lib: Disquisitionum magicarum, innumeris fere, tot Tribunalium, tot Inquisitionum publicarum, varias per Provincias habitarum, Exemplis comprobat, malum Dæmonem consvetudinem habere, ut quotiescunq; cum hac vel illa Saga aut venefico paciscitur, cogat mancipia sua, post ejuratum Christum, etiam Virginis Mariæ Patrocinio renuntiare, ejusq; Cultum & Invocationem execrari. In conventiculis verò suis cum Veneficis Sicut & per Energumenos, Eandem, ex odio, rufam, latam, extensam, vocitare consvevit. Videant igitur, cujus spiritûs sint, qui Inclytæ Matris huius Patrocinium detestantes, Honorē sibi debitum injuriosè detrahunt. Nec frustra tantam adversus Sanctissimam DEI Genitricem spirat rabiem Satanas; totes siquidem per Interpositionem ejus apud DEUM, se victum, confusum, atq; fugatum expertus est. Ut meritò scripserit S. Bernardinus Serm: 5. Art:3. c:2. de efficacia Matris Admirabilis contra immundos Spiritus: Effugantur Dæmones à Virginis ardente Charitate, sicut muscæ ab igne.

205. Circa Annū 713. cùm malus Dæmon puellam quandam obsidens, ad Aquas *Salvias*

(ubi

(ubi S. Paulus decollatus olim fuerat) allato S. Anastasii Martyris capite, adjuraretur, tandem per os puellæ in hæc erupit: *Dico vobis, quia Maria obtulit istius mali senis Episcopi lacrymas ante Nazarenum, qui dedit Potestatem Anastasio ut veniat, & ejiciat me de corpore isto.* Quòd & factum, Totũ hoc ex Actis publicis per Ecclesiæ Notarium fidelissimè conscriptis, pleniùs refert Baronius Tomi. 7. Annalium. Rectè proinde docet Cyprianus lib: 2. adversus Judæos c. 9. *Mater Domini nostri JESU Christi in illa Muliere promissa est: hæc inimicitiis opposita est Serpentis, ponã (inquit) inimicitias inter te & Mulierem, non certè pono, dicit, ne ad Evam pertinere videretur: sed Verbum promissionis est.* Hinc Bonaventura in speculo c: 3. *O quàm amara & timenda est Dæmonibus Maria.* Et Bernardus: *Non sic timent hostes visibiles Castrorum multitudinem copiosam; sicut aereæ Potestates Mariæ vocabulum, Patrocinium, Exemplum. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunq; inveniunt hujus Nominis recordationem & devotam Invocationem.*

106. Temporibûs S. Dominici, Vir quidã Nobilis, Diabolum, horribili specie se persequentem, Rosariô B. Virginis, ligatum primò, prostratum, ac conculcatum, mox deinde fugaverat. Ubi verò Avernalis Hospes, vindictam sumpturus, Arcẽ ejus obsedisset, Nobilis, hanc ipsam Victoriam in eadem depingi jussit, & Infestationes in perpetuum abegit *Balan p.4 c.42.*

207. In Vita S. Theophili pænitentis (quã Eutychianus Discipulus ejus circa An: Christi 808. Idiomate Græco conscripserat) legimus, quòd

quòd ille, dato hosti Tartareo, Chirographô, totus magicis Artibus deditus fuerit. Verùm postea superno illustratus lumine, ad Cor rediens, severissimam egit Pænitentiam; & ope Deiparæ, cujus Patrocinium apud Divinum Filiū suum, instantibus lacrymîs efflagitaverat, per visum sibi apparentis, recepit Chirographum. Quòd & palam in Ecclesia coram Episcopo ac universo Populo, igni mandavit, adeo contrito corde, ut præ vehementia doloris Animam DEO reddiderit.

208. Simile quid de B. Ægidio circa Anuū Christi 1190 habetur: qui se pariter proprio sangvine subscriptum malo Dæmoni devoverat. Ast pænitentiâ ductus, ad Patrem misericordiæ prodigus rediit Filius: & Interpellationem clementissimæ DEI Matris ante Statuam ejus, acerbissimos inter singultus implorans, advertit super Altare ejusdem Virginis, (Dæmoniis interim frementibûs, & vim sibi à Matre DEI factā, palam conquerentibus) demitti Chirographū.

209. Simili modô alter Juvenis, Hosti stygio, ut ejus ope, Mulierculâ, quam perditè amabat, potiretur, sese addixerat. Tandem post multa patrata scelera, ad Lauretanam B. Virginis Ædem, Pænitentiæ ac reconciliationis cum DEO causâ, profectus est. Cum itaq; in hac Sacra Domo, aliquoties verba illa: *Monstra te esse Matrem*, non sine lacrymis & animi contritione ingeminâsset, schedulâ, qua se olim Inferno ad scripserat, sibi in manus, cunctis spectantibûs est restituta. Vide Annales.

210. In Vita S. Philippi Nerei describitur, quomodo hostis Tartareus Virum hunc Sanctũ infestare ac terrere solitus fuerit, quodve toties in fugam actus sit, quoties DEUM per Intercessionem Virginis Mariæ invocâsset. Et Similia, de efficacia Cultûs ac Invocationis Gloriosissimæ DEI Genitricis, adversùs tenebrarũ Potestates, Exempla, sive in antiquis, sive Recentioribus Historiis, habentur innnmera.

DEFENSIO OCTAVA
B. VIRGINIS MARIÆ.

In qua Cultus & Invocatio Ejus, vel ideo persvadetur, quòd hæc à sceleratissimis nonnisi hominibus, indubitatis Hæreticis, ipsiusque Christi Domini hostibus fuerit olim oppugnata.

211. Habent hoc B. Virginis Adversarii, ut, siquidem non valent Rationibûs, Honorem ejus, oppugnent conviciis. Pharisæorum hac in parte vestigia insectantur, qui evidentiâ Veritatis superati, multas furiosè blasphemias in Salvatorem nostrum evomuerant. Exempli causâ Joan: 8. v. 48. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & Dæmonium habes?* Demostraverat Christus, se DEI Filium esse, illos verò, qui Veritati huic tot Signîs de Cælo comprobatæ, pervicaciter refragabantur, esse Filios Diaboli: & ideo rationum locô meledicta reponunt. Bene Rupertus: *Quia convicti sunt, ingerunt convicia, non enim aliter poterant resistere.* De ejusmodi Divinæ Matris obtrectatoribus merito Pöeta: *Lu-*

nerem

narem noctu ut speculum Canis inspicit Orbem : Se
videns, alium eredit in esse canem. Et latrat: sed frustra: agitur vox irrita ventis: & peragit cursus pulchra Diana suos. O utinam illud Oecumenii in cap:3. Epist. ad Titum, seriò apprehenderent! *Isti quidem temerè ac petulanter maledicta congerunt, cum tamen neq; eos, qui maledictis sunt digni, insectari conviciis justum sit.*

212. Primi, qui in hunc lapidem offenderunt, fuerant Eustathius & Eunomius; qui Cultum B. Virgini, aliisque Sanctis ab Ecclesia tribui solitum reprobabant, (ut videre est apud Socratem lib:2. Hist: c.33.) Vigilantiùs etiam Invocationi ejus detrahebat, asserens, Sanctos nō posse orare pro nobis: ut testatur S. Hieronymus contra Vigilantium. Idem faciebant Petrobrusiani & Apostolici, temporibûs S. Bernardi.

213, Verùm enim verò, cujus farinæ, quæso, homines isti fuerant? *Eustathius*, impiissim9 erat Arianus, ipsius Salvatoris hostis. Tollebat præterea Ecclesias, ad quas soliti erant convenire Fideles: Fæminis habitum mutare, & virilem induere permittebat &c. Damnatus est in Synodo Gangrensi, An: Christi 319. *Eunomius*, pariter Arianus, negabat Filium DEI esse æqualem Patri: tantiq; fastus miser erat homuncio, ut diceret, æque benè se DEI substantiam cognoscere, atq; DEUS seipsū cognoscit. *Vigilantius* inter alias blasphemiæ sordes, quas Scriptis suis congesserat, ausus est blaterare, Montem, de quo abscissus est in Daniele lapis sinè manibus

bus, esse Diabolum, & lapidem esse Christum. Ejus errores contra Sanctorum Reliquias & Invocationem eorundem, tanquã apertam hæresim confutavit Sanctus Hieronymus Ann: Christi 406. & quidem ita efficaciter, ut eosdẽ dissolvens prorsus oblivioni dederit. *Apostolici*, (sicut & Petrobrusiani) promiscuos & clandestinos conventus agentes, mutuò sese omni spurcitiâ polluebant: & plurima à Manichæis derivantes, etiam illud in usu habebant: *Jura perjura, secretum prodere noli.*

214. Honori Sanctissimæ DEI Genitricis adversabantur etiam Cherinthiani, & Ebionæi circa Annum Christi 109. Item Iovinianistæ An: 382. Sicut & Helvidius cum quibusdam de fæce Judacica, impugnando perpetuam ejus Virginitatem. *Cherinthiani & Ebionæi* (Qui ipsismet Evangelistis errorem appingentes turpiter dedetrahebant: Primi siquidem solùm Marcum admisêre, secundi solùm Matthæum, reliquorum Evangelistarum Scripturã reprobantes: Ut videre est apud Irenæum lib. 1. c. 16. 3. c. 11. Item apud Epiphanium Hæresi 30.) blaterabant, Mariam esse tantùm Matrem JESU, non Christi; & JESUM ex Viro concepisse. *Helvidius*, (Qui cum Manichæis negaverant, Filium DEI veram carnem suscepisse) asserebat, Christi Matrem alios quoq; procreâsse Filios cum Joseph. Hæresis hæc à S. Hieronymo convulsa, & (ut ipse testatur de simili Hæresi Joviniani) citò extincta est, cùm nullum Sacerdotem decipere valuisset. Nestorius Christi hostis (utpote qui Eũdem

dem, DEUM esse re vera negavit) Virginem Mariam Deiparam appellare renuebat. Ast Hæresi hâc, An: Christi 431. in Concilio Ephesino damnatâ, Cultus & Invocatio Gloriosæ Matris, adjectîs Salutationi Angelicæ verbîs: *S. Maria Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.* longè latèque celebrari cæpit.

215. Annô Christi 954. Impiissimus ille, & re vera magis Ethnicus quàm Christianus dicendus, Imperator Constantinus Copronymus, Edictô publicô Invocationem B. Virginis Mariæ proscripserat. Tyrannus iste, horrendas inter blasphemias, quas in Matrem DEI evomuit, (ut scribit Theosterictus in Nicæta, harum rerum Inspector) Nomen ejus ac Patrocinium prorsus oblivioni dare decreverat. Inquiens: eo quidem tempore, quo Christum in Utero gerebat, honorandam fuisse, postquam verò peperit, nihil distulisse à cæteris fæminis. Quod ipsum exemplô Marsupii nunc pecuniâ pleni, nunc vacui, sacrilegè confirmabat. Sed quantus hæreticus in Fide, quamque scelestus in moribus, fuerit Copronymus, Græci testantur Historici. Theophanes demonstrat, eum negâsse, Christum DEI Filium esse, asserendo Mariam, purum duntaxat hominem genuisse. Ostendit præterea, quàm crudelis Tyrannus, quàm luxuriosus, quibûs Artibûs Magicis, Sacrificiîs cruentis, ac Dæmonum invocationibûs, sordidissimè infectus fuerit.

216. Annô Christi 1118. Cultum & Invoca

tionem.

tionem B. Virginis execratus est pessimus ille Hæresiarcha Basilius, habitu Monachus, professione medicus, impiæ Bongomilorum sectæ Author: quem & Alexius Imperator flammîs devorandum addixerat. Quid verò de homine hoc sentiendum, facilè ex Doctrina ejus colligitur. Trinitatem Personarum in DEO negavit. Mūdum ab Angelis malis creatum, & Michàëlem Archangelum incarnatum fuisse, dicebat. Septem tantùm Divinæ Scripturæ Libros recepit, Sacrificium Missæ contempsit. Sanctorum Cultum, Idololatriam vocavit. Item docebat, Suos omnes sic concipere Verbum DEI & parere, sicut B. Virgo peperit. Non aliam Resurrectionem mortuorum præter Pænitentiam & Vitam Angelicam admittebat &c. En! quem Antesignanum sectantur B. Virginis Adverarii!

217. Et ab ejusmodi hominibus Doctrinam suam derivârunt, quotquot cum Luthero & Calvino, Cultum ac Invocationem Deiparæ probrosè respuunt. Etenim Falsariorum, sicut & Calumniatorum est, eadem maledicta sæpiùs repetere. Infæcundus siquidem est Iræ affectus, eadem semper dicere solet. Hinc & Agamēnon iratus Chalcanti iisdem semper verbîs cōviciatur. *Impie Vales* (inquit ille) *mala soles semper prædicere.*

218. Sed videamus quid recentiores Virginis hostes loquantur. Lutherus Serm: de Cruce; Melanchthon in explicatione primi Præcepti Decalogi; Centuriatores Magdeburgenses singulis ferme Centuriîs; Calvinus e. c. lib. 3. c. 2.

Ubi

Ubi de Sanctorum Invocatione &c. Et eorum Prædicantes communiter, Cultum quem Matri DEI tribuimus, sicut & Implorationem Patrocinii sui, Idololatriam vocitant: omnesque promiscuè Cæli Incolas, mortuos Sanctos, Deos falsos, & Idola appellant. Lutherus de natali B. Virginis Die, dixerat, se non plurîs æstimare preces Mariæ, quàm cujusvis è plebe homuncionis, eò quòd omnes simus æquè Sancti & justi, atque est ipsa Virgo Maria. Etiam Sacrilegâ illa ab impio Copronymo excogitata similitudine de Marsupio, persæpe utebatur. Hinc impudens, suos inter Discipulos exorta est cō∫vetudo; quòd sceleſtiſſimus quisque uxorem suam Auguſtiſſimæ DEI Genitrici æquiparare (quam Angelus ipse Gratiâ plenam & Benedictam inter Mulieres, prædicaverat) minimè vereatur. Et iterum Lutherus eadem Conc: festo Nativitatis B. V. In Postilla An: 1584. impressa Wittembergæ fol. 40. agit *Nos æquè Sancti sumus ac Maria, aliique Sancti, qualescunque demum fuerint, modò tantùm credamus.* Et ibidem: *Tua oratio tantum placet quantùm Mariæ Oratio, si enim credas æquè in te esse Christum atque in Maria, jam pariter mihi opitulari poteris.* Et eadem Postillâ, Dominica 1. post Ephiph: *En quàm graviter erravit Deipara, ignorans ubinam quærendus esset Christus. Melius erat, si Mater ejus non fuisset, quàm quòd eum temerè amiserit, Quis igitur inter homines major peccator extitit, quàm Mater hæc?* Verùm quàm impudens, quàm temeraria, sacrîsque Literis manifeste recalcitrans sit calumnia hæc, jam superiùs num: 64. indigitavimus

xavimus. In Colloquiis verò mensalibus exẽpli causâ fol: 50. Sic debacchatur Lutherus: *Misera hæc Ancilla de Nazareth Maria, audet etiam cum Regibus altercari, ubi inquit: Deposuit Potentes de Sede &c: Egregiam existimo fuisse puellam, & voce canora præditam: ego profectò non sic canere possem &c:* Et Tomô 6. Wittembergæ An: 1555. per Lufft impressô fol. 114. *Nemo magis maledicit huic Matri, quàm qui Ave Maria, assiduè in bucca gerit.* Et Et ibidem fol. 40. *Canticum illud, quod Salve Regina dicitur, grandis blasphemia est.* Et fol. 27. *Consilium itaq; do: Si quis Mariam salutare voluerit, nequaquam Salve Regina, & ejusmodi preces aut cantilenas Idololatricas adhibeat: Sed sic dicat: En quàm inanis & misera puella hæc fuerat: attamen DEUS respexit senuitatem ejus. Sic enim illa prorsus denudatur, solus autem laudatur DEUS. &c. &c.* Lutherum imitatur Calvinus, exempli causâ in Harmonia sua Evangelica ad c. 1. Lucæ v. 34. *Ut Mariam ab omnibus peccatis liberam enuntiemus, nequaquam simus solliciti.* Et ibidem: *Quod quidam arbitrantur, quasi Maria Votum castitatis fecerit, non subsistit, imo est quid inconveniens: infidelis enim fuisset, si desponsata Viro, vinculum Matrimoniale sprevisset &c. &c.*

119. Erasmus Roterodamus in Colloquio, quod *Naufragium* inscripsit, Virginem Matrem per jocum Sacrilegum, Veneri, in maris Præfectura, substituit. Calvinus Instt. l. 3. c. 20. § 27. Sicut & librô, quem inscripsir: *De vera Ecclesiæ reformandæ ratione*, Omnes universim Sanctos unà cum DEI Matre, gravissimis Opprobriis & blasphemiîs onerat; Mortuos Sanctos, larvas

bestias,

bestias, monstra, carnifices, colluviem, injuriosissimè compellat. Hìc adverte æqui amans Lector; si quis Calvini aut Lutheri Matrem, vel Prostibulum, ejusmodi afficeret dicteriis, nonnè ægrè ferrent Adversarii? Quomodo igitur Christus Salvator noster, tantas Matri suæ illatas feret injurias? Illyricus Cent: 9. c. 10. Martinus Chemnitùs in Exam. Ses: 3. Concilii Trident. Sententiam, quæ docet, B. Virginem omnis peccati expertem fuisse, falsam & erroneam calumniantur. &c. &c. Sed *DEUS conteret dentes eorum in ore ipsorum*, inquit Vates Regius Psal. 57. v. 7. Quare in ore ipsorum, & non potiùs in eo quem rodunt? Calumniator maximè sibi ipsi nocet. *Si frater in nos dixit vel scripsit, quod non decuit*, (profitetur S. Bernardus Epi. 233) non *tam nos læsit, quàm seipsum*. Et addit S. Hieronymus ad Eusto: *Apud Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est*. Multò magis idem censendum de illis, qui Honorē Divinæ Matri debitum minuere contendunt, & seipsos interim coram omnibus rectè sententibus prostitituunt.

220. Quoties verò hæc & similia à suis Doctoribus in Virginem Beatissimam eructata convicia, exhibemus Protestantibus; erubescere quidem solent nonnulli Prædicantes, ac protestari, Se Mariam ut DEI Matrem venerari; ast subdolè fraudulenter & irrisoriè, nec non cum graviore Sanctisissimæ hujus Virginis injuria. Exempli causâ, Non adeo pridem Minister quidam in Libello suo, *Fraustâtisch Zion*, nuncupato,

to, sic disserit: *Nos honoramus B. V. MARIAM, attamen peccatricem esse profitemur: non quidem peccatricem ejusmodi, qualis fuerat Thamar, quæ publicè pro strata est in via; non qualis illa publica in Civitate meretrix, sed tamen peccatricem &c:* Quis non videt, laudes hujusmodi, illusiones Sacrilegas esse! Ferretnè homo iste, si quis eundem simili prosequeretur encomiô: Ego te honoro, quia dico, te non esse Latronem talem, qualis fuerat Barrabas; non esse talem nequam, & nebulonem, quales illi, qui viatorem propè Jericho, inflictis vulneribûs despoliaverant? non esse talem furem & Proditorē, qualis fuerat Judas Iscariotes! Redite; redite ad cor prævaricatores, conteptores, irrisores! & aliquando illud Piissimi Viri, Petri Cellensis lib: 6. Epist: 23. Effatum, seriò expendite: *Mallem non habere lingvam, quàm aliqvid dicere contra Dominam nostram; aut eligere non habere Animam, quàm vellem ejus extenuare Gloriā.*

221. Homines, qui cultum & Patrocinium Mariæ contumeliîs oppugnant, Turcis, Judæis, ipsoq; Diabolô sunt pejores. De Turcis (ordinariè loquendo) constat, quod eam non solùm scommatibûs non proscindant, sed & laude speciali, saltem persæpe (ut etiā superiùs num: 200. libavimus) prosequantur. Judæis, tempore Passionis Christi Salvatoris nostri, non est permissum, ut Virginem Mariam similibus contumeliîs, qualibus nunc à perversis quibusdam oppletur Christianis, proscinderent. Ipse Diabolus, capitalis quantumvis Christi & Matris ejus hostis (hæc siquidem juxta DEI promissū,

Gen: 3. v. 19. contrivit Caput ejus.) etiam cùm maxime ſævit, non audet, per ſe, ſive in Energumenis, five in ſagarum congreſſibus, ſis probrosè de B. Virgine loqui, Exempli causâ, vocitare peccatricem, aut Idolum, comparare cuivis etiam impuriſſimæ Mulierculæ, derogare Virginitati ejus &c. Sicut Lutherus & Calvinus cum rigidioribus ſectatoribus ſuis faciunt; ſed ad ſummum, rufam aut latam cognominat.

222. Omnes ejuſmodi Calumniatores, Ambroſius (qvi circa An: Chriſti 370. floruit) ſic alloquitur, Epiſtolâ 5. *Claudat ſua ora perfidia! obmuteſcat! ne Matrem Domini aliquo audeat temerare conviciô.* Sicut honor Parentis redundat in Prolem, Prov: 17. ſic & ignominia. De illis verificatur illud Apocalypſis 12. Ubi Draco contra mulierem amictam ſole ſtetiſſe, ejuſq; Filiū devorare voluiſſe, dicitur: *Draco perſecutus eſt eam, & abiit facere bellum cum reliquis de ſemine ejus.* Et de Beſtia illa Apocalypſis 13. quæ ex Irenæo cap: 5. eſt Antichriſtus, ex aliis etiam ſunt Præcurſores Antichriſti, ſic habetur: *Aperuit os ſuum in blaſphemias ad DEUM, blaſphemare nomen ejus, & Tabernaculum ejus.* Nonne Mater DEI eſt Tabernaculum ejus?

223. Verùm adversùs eam non proficient Adverſarii. *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo:* canit per multa jam ſœcula Eccleſia. Et quidem hoc ſenſu, 1. quia Juſtitiæ ſolem genuit, qui illuminat homines, & errorum tenebras depellit. 2. Quia ſingulari modô Magiſtra Apoſtolorum fuerat (ut dictum ſuperiùs)

perius) quorũ Doctrina refellit hæreses. 3. Quia plurimæ hæreses circa Incarnationem Christi facilè rejiciuntur ab illis, qui Mariam DEI Genitricem agnoscunt & colunt. 4. Quia Fidei Defensoribus, contra hæreses strenuè pugnantibus, singulariter auxiliatur, ut constat ex tot Exemplis. 5. Quia precibûs suis fastum Adversariorũ deprimit.

DEFENSIO NONA
B. VIRGINIS MARIÆ,

In qua Cultus & Invocatio Ejus, vel ex eo defenditur, quòd non possit aliter, nisi per calumnias & impudentiam ab Adversariis oppugnari.

224. *Solent injuriæ illis præstare suffragium, quibus studium est, non de Veritate, sed de propriæ gloriæ victoria. In his autem, qui tota intentione cupiunt, de concepta Veritate gaudere, locum hæc penitus non habent.* Inquit Maxentius Dialogô primo. Quasi dicat, qui non Veritatis sed vanitatis studiô occupantur, Argumentorum pondere destituti, calumniîs ac injuriîs, velut Icari pennîs supra alios evolare contendunt: De ejusmodi hominibus scribit S. Paulus: *Qui non acquiescit ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed langvens circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse Pietatem. 1. Tim: 6 v.* 4. 5. Quàm sollicitè inter disputandum, à calumniis & conviciis, abstinen-

abstinendum sit, vel ipse Angelus exemplô suo nos edocuit: *Cum Michaël Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit, imperet tibi Dominus. Judæ v. 9.* En! nequidem ii, qui maledictis digni, conviciîs sunt oppugnandi. *At, Isti Quodcunq; ignorant, blasphemant. v. 10.* Proinde vel ipse Gentilis Plutarchus, naturali rectæ rationis lumine nixus, omnes hortatur: *Satis est nudis explicatisq; Rationibûs Causam simpliciter agere, nec congestis maledictîs undiq; ac jurgiis, quasi venenô tela inficere.* In Politicis ad Trajanum.

225. Jam, ex innumeris, quibus veritatem nostram lacessere solent Adversarii, calumniîs & imposturis, saltem aliquas in medium produco. Calvinus lib: 3. Instit: c. 20. D. 21. scribit: *In omnibus Hymnis & Litaniis Papistarum, nullã unquam fieri Christi mentionem, nec unquam Papistis, in precibus, occurrere Christum.* Sed figmentum est toti mundo palpabile. Numquid non dicimus in Litaniis: Kyrie eleison, Christe eleison, Pater de Cœlis DEUS, Fili Redemptor mundi DEUS miserere nobis &c.! Nonne omnes hymni diriguntur ad DEUM, & per *Gloria tibi Domine*, aut quid simile terminantur? Nonne cunctæ Ecclesiæ Orationes ad DEUM elevantur, & concludunrur *per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum?* Idem lib: 3. c. 20. ʃ 22. calumniatur, nos invocare Sanctos *ut DEOS*, adeoq; & Virginem Mariam ut DEAM, plurimosq; habere DEOS pro numero Urbium, sicut Jeremiæ 2. v. 28. de Judæis dicitur. Verùm, totum id me-

ram calumniã esse per se patet. Quis enim DEO dicere auderet, S. DEUS ora pro nobis, quẽadmodum B. Virgini dicimus: *S. Maria ora pro nobis*, ? Item, nos rogare Mariam, ut Filium *jubeat facere*, quod poscimus. Sed quis Catholicorum hoc docet? Blaterat non probat. Item, nos ante Statuam Mariæ, aut Barbaræ, vel Catharinæ demurmurare *Pater noster &c.* At, si vel rudissimus interrogetur, respondebit, se Orationem Dominicam ad DEUM dirigere, id autem se facere coram Imagine B. Virginis, ut Oratio sua exaudiatur efficaciùs à DEO.

226. Philippus Melanchthon (sicut à suo Luthero didicerat) in Apologia Art: 21. Confessionis August: non veretur dicere, Papistas Virgini Mariæ, aliisq; Sanctis tribuere Divinitatem, id est vim cognoscendi mentium cogitationes. Sed calumnia est, cum nullus Catholicorum id docuerit unquam. Asserimus enim, B. Virginem cognoscere preces nostras, non ut sunt in mentibus nostris, sed ut sunt in DEO, quem videt, & qui easdem sibi manifestat. Reliquas calumniarum petulantias jam superiùs aliquoties castigavimus.

227. Secundum Oppugnationis genus in fastu quodam indignissimo, meraq; impudentia consistit. Qui enim Cultum & Invocationum DEIparæ morosè respuunt, consequenter loquendo, dicere debent: 1. Omnes per tot sæcula Ecclesiæ Doctores, qui unanimi consensu, salutare hoc Studium (ut ex dictis liquet) zelosissimè promoverunt, errasse graviter, nec sa-

cras Literas intellexisse! Lutherum duntaxat & Calvinū cum suis Discipulis sapere. Quod quis prudens dicat? Quis credat? 2. Omnes illos Viros Sanctissimos, qui tot signis de Cœlo, etiam Sangvine, Christi amore profuso, Doctrinam suā confirmarûnt, Idololatras, ac proinde DEO odibiles, & æterno suppliciô dignos fuisse. Lutherum verò & Calvinum, innumeris conviciis Christi Matrem proscindentes, (de quorū præterea vita & moribus aliunde constat) Viros fuisse pios, verosq; DEI Cultores: & quidem ideo, quoniam sine fronte, se esse tales, ipsimet testati sunt. 3. Omnes in Christianitate piissimos Imperatores, Reges, & Principes, etiā illos, quorum Devotione, Sapientia & Robore comparata Regna, Fortunam & Honorem, moderni Dissidentes possident, in Cultu & Invocatione Matris DEI temerè processisse, & turpiter deviasse! Eos verò solos, qui blasphemi illius Venefici, & impiissimi Virginis Mariæ hostis Copronymi, hac in parte vestigiis insistunt, viâ recta incedere.

228. 4. Omnes Sacerdotes Catholicos, etiam eos, qui spretis Mundi Vanitatibûs, ut liberiùs DEO serviant, propriis se Fortunæ Bonîs exuerunt! tot quoq; Episcopos & Prælatos, qui juxta statûs ac Dignitatis suæ proportionē, temporalibûs abunde instructi sunt, turpis lucri gratiâ, ad B. Virginis Aras, Miracula confingere, miserumq; popellum decipere. Dissidentium verò Præcones (qui corrasa Populi pecuniâ se suasq; proles sustentare coguntur; & nisi placen-

si placentinos agerent, de statu suo deturbarentur) tã rigidos conscientiæ ac Veritatis Cultores esse, ut propter nullum temporale emolumentum, suos velint decipere. 5. Omnes promiscuè in Ecclesia Catholica Politicos, adeo incauto, rudes, & imprudentes esse, ut se à Clero tam facilè decipi permittant; sic deniq; leves, ut absq; fundamento credant, mira sibi per Virginis Intercessionem, à DEO præstari Beneficia; hacq; de causa, Aurum & argentum suum velut gratitudinis Tesseram, Altaribus ejus appendant. E contra Prædicantes oppositos, ita sagaces, perspicacesq; esse, ut quantumvis remotissimè dissiti, omnia hæc, vel ideo, quòd ea pro libito, simpliciter pernegent, falsa esse agnoscant.

229. 6. Omnes Catholicorum Scriptores Historicos (tametsi iisdem, in rebus Politicis assentiantur firmiter, utpote sine quibus, nullam prorsus Antiquitatis notitiam habere possent Protestantes) ubicunq; de B. Virginis Patrocinio aut Miraculis testantur, somniatores ac Falsarios esse, ideo quòd sic dicant, sic velint, sic deniq; nugentur Adversarii. 7. etiã illa prorsus manifesta & indubitata Prodigia, quæ tot homines fide dignissimi oculis palpârunt, aliisq; jure jurando retulerunt, figmenta esse propterea, quòd aliqua interdum à plebe, absq; sufficienti fundamento pro Miraculis reputentur. Quis hìc non videt, Pretiosissimæ Virginis Cultum, ejusq; Maternum Patrocinium, per solam impudentiam, petulantiam, insolentiam, atq; calumniam negari & impugnari posse? DE-

DEFENSIO DECIMA B. VIRGINIS MARIÆ,

In qua Cultus & Invocatio ejus tandem per id comprobatur, quòd DEUS contemptores ac Irrisores illus, etiã in hoc sæculo, toties vindice pæna severissimè affecerit.

230. Ex innumeris paucissima duntaxat, ne fortè nimis excrescat Opus, Exempla profero. In vita S. Domnoli Episcopi Cenoman: circa Annum Christi 581. legimus, Virum quendam nobilem & Regis Consiliarium, postquam Ecclesiã DEIparæ, præmisso jocô sacrilego, aurô argentôq; spoliâsset, advertisse per quietem, Beatissimam Virginem, malleô se in fronte percutientem, seriòq; monentem, ut ablata quantocyùs restitueret. Expergefactus sensit grande vulnus in capite, quod licèt accedente pænitentia, brevi sanatum sit, cicatricem nihilominus in totã vitam reliquerat.

231. An: Christi 585. Mauritii Imperatoris 2dô, cùm aliquot Græci inter prandendum, Cavillationes quasdam in Virginem Sanctissimã eructâssent, illicò ab immundis spiritibus obsessi sunt. Ut testatur celebris illius ævi Historicus, Cedrenus.

232. An: Christi 775. Flagitiosissimus ille Imperator Copronymus (de quo superiùs dictũ) postquam multas, adversus Honorem & Invocationem Divinæ Matris effutiisset blasphemias, in Expeditione contra Bulgaros, febri violentissima correptus, & brevi post moriens, vociferatus

ciferatus est, *Se inextingvibili igni traditum esse propter Mariam.* Referunt id cum Cedreno omnes illius ætatis Græci scriptores.

233. Paulus Diaconus lib: 21. Rerum Romanarum scribit, Virginem Matrem cuidam Iconomacho, qui Statuam ejus injectis lapidibûs contriverat, per visum apparuisse, ac terribili voce minatā fuisse: *In Caput tuum hoc fecisti.* Paulò post homo temerarius ingenti oppressus Saxô;, atq; ita contritus est, prout ipse Statuam comminuerat.

234. Evagrius lib: 1. Hist: c. 7. de interitu impii illius hostis DEI paræ Nestorii, inter alia sic loquitur: *Ipse equidem accepi à scriptore quodam, modum, quo decessit è Vita Nestorius, talem fuisse: nimirum ejus lingvam vermibus exesam esse, sicq; cum hujus vitæ miseriis ad graviora supplicia, justo DEI Judiciô infligenda, eaq; sempiterna migrasse.*

235. Annô 1187. Tempore, quo Bellum erat inter Philippum Regem Francorum & Henricum Regem Angliæ, duo Brabantiones videntes ante Statuam quandam lapideam in honorē B. V. sculptam, in Abbatia Dolis dicta, mulierem devotè orare, multas evomuerunt blasphemias: Unus etiam lapides in imaginem projiciens, brachium pueri JESU confregit: unde prodigiosè multæ Sangvinis guttæ effluxêre. Statimq; in eodem loco, is qui lapidem excusserat, procidit exanimis! alter à malo Dæmone obsessus est. Scribit id Vincentius Beluacensis l. 7. specul: Hist: c. 110. & addit, *Ego qui scripsi, Sangvinem illum vidi oculis meis.*

236. Sed

236. Sed ne longior sim in antiquioribus Exemplis, quibûs refertæ sunt Historiæ, enarrandis, aliquot solùm adhuc, & quidem recentiora, quæ publicatîs jam Lutheri & Calvini, (saltem protunc in Zwinglio) maximorum hujus Sanctissimæ, Innocentissimæq; Virginis hostiū, novitatibûs, contigerunt, cunctisq; Rerum notitiâ pollentibus perspecta sunt, in medium produco. Anno Christi 1523. Bilbai in Hispania, Nebulo quidam ex advenis heterodoxis, noctu ingressus Ecclesiam, Imaginem DEI paræ Miraculîs clarā, pretiosîs Ornamentîs denudaverat. Ubi verò etiam Coronam Capiti eripere tentaret, ejusdem Imaginis Manu repulsus & impeditus est. Quo tamen Prodigiô minimè emendatus, sed reliquis spoliîs onustus in vias suas abiit. Verùm non cū successu: in campis enim, Ovium gregem obvium habuit, cujus aries tam pertinaciter eundē repressit, ut regredi, aliamq; viam inquirere sit coactus. Arripuit itaq; aliam, sed & de hac à furente Tauro absterritus est. Tandem tertium elegit tramitem, qui miserum Sentibus, densissimisq; Frutetis adeo intricavit, ut progredi non valens, ad quietem paulisper sumendam, sese composuerit. Interim Sacrilegium Civitati innotescit, Populus huc, illuc, indagaturus Reū diffunditur, moxq; sub Arbore dormientem deprehendit.

237. Annô 1525. Erfordii cùm Lutherani Cathedralem B. Virginis Ecclesiā armata manu invasissent, Joannes Kulsamer Prædicans, digitô monstrans ejusdem Divinæ Matris Statuam, dixerat:

xerat: *Non recedam hinc, donec Idolum istud, prostratum ejecero.* Et ecce! Gangræna digitum hunc illicó corripuit, & hominem sequenti nocte exanimavit. Vide Tympium.

238. An: 1577. Cùm passim in toto pene Belgio Iconomachi in Templa & Imagines irruere cœpisset, contigit in Pago Lokeren appellato, quendam, B. Virginis Statuam invadere ac demoliri. Ubi autem magno labore Imaginem luxâsset, decidens illa, sui ipsius casu vindictam inflixit scelerato. Nam casus ejus nutu Divino sic accidit, ut puellus ille Christus Dominus, quem Virgo Mater ulnîs gestabat, alioquin blandulus, manu sua (quàm arte sculptoris protensam habebat) recta in Iconomachum impingens, maxillam ejus velut armillâ quadam acutâ perforaret. Sicut de Leviatan apud Job legimus c.40. & Psal: 31. *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Res hæc in conspectu tot fide dignorum Virorum facta, & ab iisdem divulgata, atq; à Tilmaño Bredenbachio lib: 3. sacr: Colla: c. 22. descripta est.

239. An: 1580. Oliverius Tempelius Bruxellæ (quæ eo tempore ab hostibus Regis occupabatur) præfuit, qui & Hallense Oppidum (ubi DEI paræ Templum cum miraculosa ejusdem Imagine habetur) 9. Julii, casso licèt molimine, in Potestatem redigere satagebat. Cùm itaq; Copiæ ejus per viam incederent, seq; invicem hortarentur, miles quidam hæreticus, nomine Joannes Zuuyckius, ore sacrilego jactabat, se suîs manibûs Hallensi Mulierculæ (DEI Matrem intelligens)

telligens) nasum abscissurum. Vix ad Oppidum pervenerant, ecce glande plumbea, ab Oppidanis excussâ, nasus eidem militi adimitur. Quare à Comilitonibus postea mirificè irrisus est, qui eum identidem, ad nasum recipiendum, Hallas mittebant. Alter in eadem Expeditione, Joannes Ryssel manus imaniore etiam sævitia effuderat, sacratam se Statuam Bruxellã adducturum, atq; ibi igne subjecto, publicè crematurũ: qui tamen mox temeritatis pœnam accepit. In ea siquidem oppugnatione, os & mentũ, ac paulò post vitam, per Tormenti ictum, amisit. Lipsius de B. Virgine Hallen: c. 7.

240. Annô 1600. In Scotia, direptô Cuprẽsi Monasterio, & spoliato Tẽplô, restabat Christi, & Matris ejus sub cruce stantis effigies. Hanc ut vidit quidam Puritanus, restas adhuc hìc, inquit ridens: & comportatîs instrumentis Imaginem dimovet. Quæ corruens, impium oppressit caput, & excusso Sacrilegi cerebrô, parietẽ ac pavimentum respersit.

241. Ibidem eodem tempore Nobilis adolescens in Provincia Fisæ, Statuam B. Virginis concidit, & foco injecit: Unde ignis tanta vi exarsit, ut Domum omnem concremaverit, multîs incendiô violatis.

242. Annô 1674. Immerii in Civitate Diæcesis Basiliensis, 'Prædicans quidã Calvinianus, verba è suggestu faciens, non est veritus dicere, Rem prorsus esse impossibilem, quòd Maria post Desponsationem cum Joseph, pura manserit Virgo: subjungens, Filiam suam (quæ pro-

tunc

tunc culinæ officiis distrahebatur) æque mundā & puram esse, atque fuerit Maria: Et, si res aliter se haberet, optabat, ut se tellus hiatu suo vivum absorberet. Vix blasphemiam evomuit, & unà cum Filia sua disparuit, nunquam ampliùs visus ab hominibus. Ut testantur hujus sæculi Annales.

243. Annô 1698. Bambergæ Miles quidam Domum emerat, in qua B. Virginis Imago, antiquo Catholicorum more, depicta cernebatur. Hanc Conjux ejus hæretica pati non potuit, urgentissimè proinde apud Maritum institit, ut calce superiniecta delendam curaret. Satisfactum impiis desideriis: sed Res mira! Eadem Imago in ipsa calce multò gratiùs enituit. Igitur secundò & tertiò calx admota, verùm cassò semper molimine, nam species tota vivacissimis coloribûs transparebat. Efferbuit improba Mulier, & quàm calce delere nequiverat, stylô ferreo eradendam mandavit. Qua de causa DEI vindicis Manum experta, immaturum siquidem fætum unà cum vita sua brevi post effundere coacta est. In Annal: ejusdem Anni.

244. Apud Pedemontanos Ecclesia B. Mariæ Virginis, Prodigiis celebris habetur, ad quā ingens Fidelium multitudo, (ita ut non raro ultra 80. hominum millia numerata sint) confluere assvevit. Id ægerrimè ferens quidam temerarius homo hæreticus, Annô 1595. multa probrosè contra Veritatem de Cultu & Invocatione DEI-paræ Catholicam, effutiit; inter alia, per jocum Sacrilegum dixerat, se Domi canem

nem habere cæcum, velleq; eundem ad locum hunc Miraculosum, pro obtinenda curationis gratia, expedire. Quod & fecit, Verùm DEUS Justus Judex, blaterones ejusmodi non sinit esse impunitos. Canis quidem visum recepit, ast Irrisor eodem temporis momentô, oculorum usu privatus est. Ut proinde impietatem suam deflere, atq; suscepta Religione Catholica, Opem Thaumaturgæ Matris in præfato loco expetere (quàm & impetravit) debuerit. Marchant: de Laud: Mariæ. pag: 26.

245. Notandum autem hìc est, DEUM non semper prodigiosè hujusmodi Contemptores castigare, ne fortè vilescant aliàs Miracula apud homines: Sed dissimulare persæpe, donec resipiscant, & si nolint, pænam, in alteram vitã reservare atrociorem. Interdum etiam per Jurisdictiones Catholicas, (ut non adeo pridẽ factum) in Sacrilegia hæc severè animadvertere consvevit. Amen.





